M. TULLI CICERONIS

L A E L I U S

SIVE

DE AMICITIA.

M. TULLI CICERONIS
LAELIUS
SIVE
DE AMICITIA DIALOGUS.

EMENDAVIT

REINHOLDUS KLOTZ.

ACCEDUNT ANNOTATIONES CRITICAE.

LIPSIAE
SUMPTUM FECIT LIBRARIA BAUMGAERTNERI.
MDCCCXXXIII.

IOANNI CASPARI ORELLIO

D. D. D.

REINHOLDUS KLOTZ.

PRAEFATIO.

Cum hunc M. Tulli dialogum, qui non solum ab iis, qui amant antiquitatem eique operam suam dedicarunt, lectitatur, verum etiam in puerorum manibus versatur, qui discendi caussa praeclarum hoc amicitiae monumentum student cognoscere, multis librariorum mendis inquinatum, multis etiam grammaticorum cum veterum tum nostrorum erroribus depravatum esse intellexissem, quod is liber cum esset praestantissimus, et antiquo tempore saepe descriptus et saepe nostro editus esset: bene me et eorum caussa, qui sunt peritiores, et puerorum putavi meriturum, si quantum in me esset, librum utilissimum, ne menda scripturae peritioribus molestias, pueris errorem affer-

rent, quam emendatissimum ederem. quo in munere fungendo etsi nostra aetate Gernhardus, Beierus, Orellius, alii non sine summa diligentia versati sunt, tamen peritus nemo negabit multa quidem ab his triumviris emendata esse, multa autem etiam nunc restare corrigenda, in quibusdam etiam perspicue peccatum esse. quod ut ego quoad liceret a doctis inchoatum perficerem, et eos libros manu scriptos, quos alii ante me excusserant, in auxilium vocavi, et novos libros septem conquisivi, qui suis locis descripti sunt. eorum quattuor eximia liberalitate Friderici Guilielmi Schneidewin viri clarissimi mihique amicissimi tum demum nactus sum, cum ipsa M. Tulli oratio litteris iam esset mandata, quos cum in annotationibus conficiendis diligenter usurparem, factum est, ut aliquoties iudicium meum ab eo, quod primum mihi probatum fuerat, discreparet: quod intelligentioribus nullam molestiam faciet; ne pueris faceret, cautum eo est, quod ipsam Tullianam orationem sine annotatione critica postea edendam curavi, in qua etiam illi loci, ubi incer-

tum erat ac dubium iudicium meum, emendati sunt. minorem igitur illam editionem ne criticus quidem negliget, si qui volt recte de opera mea iudicare. in ea editione correctus est etiam ille locus, qui volgo ita legitur c. XIX. §. 68. *quin ipso equo, cuius modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo,* pro quo ex libris praestantissimis scriptum est: *quin etiam in ipso equo, cuius modo feci mentionem, si nulla res impediat, nemo est, quin eo quo consuevit lubentius utatur quam intractato et novo.* libri enim integerrimi Erfurtensis et Gudianus pro volgato *quin ipso equo* ambo habent *quin et in ipso equo,* quibus in verbis dubitari non potest quin *et* idem sit atque *ēt*, id est *etiam*, quo de compendio cons. Ed. Wunderum *ad orat. Plancianam* c. 4. §. 9. p. 67. et me ad Cat. mai. c. 7. §. 21 et c. 16. §. 48. p. 120 sq.

In annotationibus meis partim mea scribentis partim librari describentis negligentia factum est, ut quaedam vitia remanerent, quo-

M. TULLI CICERONIS

LAELIUS

SIVE

DE AMICITIA.

SUMMARIUM.

Hunc de amicitia librum scripsit Cicero post Catonem maiorem; atque ut in illo ad Atticum senem senex de senectute, sic hoc libro ad eundem Atticum amicissimus de amicitia scripsit. Fingit autem hanc disputationem habitam esse a Laelio sapiente, cum duobus generis, C. Fannio et Q. Mucio Scaevola, qui eum paucis diebus post Scipionis Africani minoris mortem convenisse dicuntur. Cicero autem adolescens ad Q. Mucium Scaevolam augurem a patre deductus, quoad posset et liceret, ab huius senis latere numquam discessit, et quum multa alia ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriae mandasset, tum etiam sermonem Laelii de amicitia cum eo et cum altero genero habitum, ab eo se accepisse refert, c. I. Ipsum igitur Laelii colloquium incipit a laudibus Africani nuper mortui, quem sperat etiam post mortem vivere, seque recordatione amicitiae cum eo contractae sic frui ostendit, ut beatus sibi vixisse videatur, qui cum Scipione vixerit. Itaque rogatur a Fannio et Scaevola, ut quoniam amicitiae mentionem fecerit, ipsis exponat quid de amicitia sentiat, qualem existimet, et quae eius praecepta esse putet, c. II—IV.

Iam Laelius primum ostendit, amicitiam esse non posse nisi in bonis, eamque ipsa propinquitate praestare, c. V. Esse autem eam nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summam consensionem, qua, excepta sapientia, nihil quicquam melius homini sit a diis immorta-

libus datum; plurimas enim eius esse commoditates cum in prosperis tum in adversis rebus, c. VI. illam autem omnibus praestare, quod bona spe praeluceat in posterum, nec debilitari animos aut cadere patiatur, c. VII. Amicitiam vero a natura potius quam ab indigentia ortam esse, et applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis sit habitura, c. VIII. Quod si verum esset ab imbecillitate proficisci amicitiam, ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus, quod longe secus esse docetur, c. IX. Difficile autem esse amicitiam usque ad extremum vitae permanere. Nam vel ut non idem expediret, incidere saepe, vel ut amici de re publica non idem sentirent; mutari etiam saepe mores hominum alias adversis rebus, alias aetate ingravescente. Magna quoque discidia et plerumque iusta nasci, quum aliquid ab amicis, quod rectum non sit postuletur, c. X. Itaque c. XI. explicatur quatenus amor in amicitia progredi debeat. Nullam enim esse excusationem peccati, si amici caussa peccaveris. Hanc potius esse legem in amicitia sanciendam, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati, c. XII. ut ab amicis honesta petamus, amicorum caussa honesta faciamus, nec exspectemus quidem dum rogemur; studium semper adsit, cunctatio absit; consilium vero dare audeamus libere; plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas; ut denique bonis amicorum rebus laetemur, doleamus contrariis, c. XIII. Bonis autem inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse, qui sit amicitiae fons a natura constitutus, c. XIV. Stultum vero esse cetera parare, quae parantur pecunia, amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitae supellectilem, c. XV. In constituendis autem amicitiae finibus tres vulgo sententias ferri, *unam*, ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos; *alteram*, ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiae pariter aequaliterque respondeat; *tertiam*, ut quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Harum trium sententiarum Laelius ait se nulli prorsus assentiri. Reprehendit etiam Biantis quod ferebatur dictum, ita amare oportere, ut si aliquando sit osurus, c. XVI. His potius finibus in amicitia utendum esse, ut quum emendati mores ami-

eorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas, ut etiam si qua fortuna acciderit, ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum sit de via, modo ne summa turpitudo sequatur. Eligendos autem esse amicos firmos et stabiles et constantes, c. XVII. Firmamentum autem huius stabilitatis et constantiae, quae in amicitia quaeratur, fidem esse. Huc accedere oportere, ut ne criminibus aut inferendis delectetur amicus, aut credat oblatis; praeterea suavitatem quandam sermonum atque morum, haud quaquam mediocre condimentum amicitiae, c. XVIII. Veteres autem amicos novis anteponendos esse. Deinde eos, qui sint in amicitiae necessitudine aliqua re superiores, exaequare se cum inferioribus debere; inferiores autem non debere graviter ferre, se ab amicis suis aut ingenio aut fortuna aut dignitate superari. Tantum autem cuique tribuendum, primum quantum ipse efficere possis; deinde etiam, quantum ille, quam diligas atque adiuves, sustinere. Recte etiam praecipi in amicitiis, ne intemperata quaedam benevolentia impediat magnas utilitates amicorum. Omninoque considerandum esse et quid postules ab amico et quid patiare a te impetrari, c. XIX. XX. Esse etiam quasi quantam calamitatem in amicitiis dimittendis nonnumquam necessariam. Erumpere enim saepe vitia amicorum cum in ipsos amicos tum in alienos. Tales amicitias remissione usus eluendas, magisque dissuendas quam discindendas esse, nisi quaedam intolerabilis iniuria exarserit. Sin autem morum aut studiorum commutatio quaedam facta sit aut in rei publicae partibus dissensio intercesserit, cavendum esse, ne non solum amicitiae depositae, sed inimicitiae etiam susceptae videantur. Omnium horum incommodorum unam provisionem esse, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve non dignos. Dignos autem esse amicitia, quibus in ipsis caussa sit, cur diligantur, c. XXI. Plerosque autem perverse ac pene impudenter amicum habere talem velle, quales ipsi esse non possint; quaeque ipsi non tribuant amicis, haec ab iis desiderare. Par esse autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum sui similem quaerere. Virtutum enim amicitiam adiutricem esse a natura datam, non vitiorum comitem, c. XXII. Sed quum multis in

rebus negligentia homines plectantur, tum maxime in amicis et diligendis et colendis, quum tamen omnes fere in eo conveniant, ut sine amicitia vitam esse nullam sentiant, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. Naturam enim nihil volitarium amare, semperque ad aliquod tamquam adminiculum anniti, c. XXIII. Esse autem et monere et moneri verae proprium amicitiae, et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter; nullam vero in amicitiis pestem esse maiorem quam adulationem, blanditiam, assentationem. c. XXIV—XXVI. Denique solam virtutem et conciliare amicitias et conservare; quod exemplis adolescentium cum senibus benevolentia coniunctorum et aequalium inter se, et senum in adolescentium caritate acquiescentium, postremo ipsius et Scipionis amicitiae confirmatur, c. XXVII.

M. TULLI CICERONIS
L A E L I U S
SIVE
DE AMICITIA DIALOGUS
AD
T. POMPONIUM ATTICUM.

I. 1. **Q.** Mucius augur multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et iucunde solebat, nec dubitare illum in omni sermone appellare sapientem. ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam sumpta virili toga, ut quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem. itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriae mandabam, fierique studebam eius prudentia doctior. quo mortuo me ad pontificem Scaevolam contuli, quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere. sed de hoc alias: nunc redeo ad augurem.

2. Cum saepe multa tum memini domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, cum et ego essem una et pauci admodum familiares, in eum sermo-

---

I. §. 1. etiam breviter] [*etiam*] *breviter*.

nem illum incidere, qui tum fere multis erat in ore. meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, cum is tribunus plebis capitali odio a Q. Pompeio qui tum erat consul dissideret, quocum coniunctissime et amantissime vixerat, quanta esset hominum vel admiratio vel querela. 3. Itaque tum Scaevola cum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Laeli de amicitia habitum ab illo secum et cum altero genero C. Fannio Marci filio paucis diebus post mortem Africani.

Eius disputationis sententias memoriae mandavi, quas hoc libro exposui arbitratu meo: quasi enim ipsos induxi loquentis, ne *inquam* et *inquit* saepius interponeretur, atque ut tamquam a praesentibus coram haberi sermo videretur. 4. Cum enim saepe mecum ageres, ut de amicitia scriberem aliquid, digna mihi res cum omnium cognitione tum nostra familiaritate visa est. itaque feci non invitus, ut prodessem multis rogatu tuo. Sed ut in Catone maiore, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam eius qui et senex diutissime fuisset et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset: sic cum accepissemus a patribus maxime memorabilem C. Laeli et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Laeli persona visa est, quae de amicitia ea ipsa dissereret, quae disputata ab eo meminisset Scaevola. Genus autem hoc sermonum positum in hominum veterum auctoritate et eorum illustrium plus nescio quo pacto videtur habere gravitatis. itaque ipse mea legens sic afficior interdum, ut Catonem, non me, loqui

---

I. §. 2. fere multis] *fere* [*omnibus*]. §. 4. senex diutissime] *diutissime senex*.

existimem. 5. Sed ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus scripsi de amicitia. tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Laelius et sapiens — sic enim est habitus — et amicitiae gloria excellens de amicitia loquetur. tu velim a me animum parumper avertas, Laelium loqui ipsum putes. — C. Fannius et Q. Mucius ad socerum veniunt post mortem Africani: ab his sermo oritur, respondet Laelius, cuius tota disputatio est de amicitia, quam legens tu te ipse cognosces.

II. 6. Fannius. Sunt ista, Laeli. nec enim melior vir fuit Africano quisquam nec clarior. sed existimare debes omnium oculos in te esse coniectos unum: te sapientem et appellant et existimant. tribuebatur hoc modo M. Catoni: scimus L. Atilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, sed uterque alio quodam modo: Atilius, quia prudens esse in iure civili putabatur; Cato, quia multarum rerum usum habebat — multa eius et in senatu et in foro vel provisa prudenter vel acta constanter vel responsa acute ferebantur —; propterea quasi cognomen iam habebat in senectute sapientis. te autem alio quodam modo non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina esse sapientem nec sicut volgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem, qualem in reliqua Graecia neminem — 7. nam qui septem appellantur, eos qui ista subtilius quaerunt in numero sapientium non habent —, Athenis unum accepimus et eum

I. §. 5. scripsi de amicitia] *de amicitia scripsi.* loquetur] *loquitur.* a me animum] *animum a me.* tu te ipse] *tu te ipsum.* II. §. 6. oculos in te] *oculos nunc in te.* coniectos unum: te] *coniectos: unum te.* habebat] *haberet.* in reliqua Graecia] *in Graecia.*

quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum iudicatum: hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita esse ducas humanosque casus virtute inferiores putes. Itaque ex me quaerunt, credo ex hoc item Scaevola, quonam pacto mortem Africani feras: eoque magis, quod his proximis Nonis cum in hortos D. Bruti auguris commentandi caussa ut assolet venissemus, tu non affuisti, qui diligentissime semper illum diem et illud munus solitus esses obire.

8. Scaevola. Quaerunt quidem, C. Laeli, multi, ut est a Fannio dictum, sed ego id respondeo quod animadverti, te dolorem, quem acceperis cum summi viri tum amicissimi morte, ferre moderate, nec potuisse non commoveri nec fuisse id humanitatis tuae; quod autem his Nonis in collegio nostro non affuisses, valetudinem caussam, non maestitiam fuisse.

Laelius. Recte tu quidem, Scaevola, et vere: nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi cum valerem, abduci incommodo meo debui: nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat offici. 9. Tu autem, Fanni, quod mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco nec postulo, facis amice: sed ut mihi videris, non recte iudicas de Catone. aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut si quisquam, ille sapiens fuit. quo modo, ut alia omittam, mortem fili tulit! memineram Paullum, videram Gallum; sed hi in pueris; Cato in perfecto et spectato viro. 10. Quam ob rem cave Catoni anteponas ne istum quidem ipsum, quem

---

II. §. 7. posita esse ducas] *posita ducas.* ex hoc item Scaevola] *item ex hoc* [*Scaevola*]. §. 8. in collegio nostro] *in nostro collegio.* §. 9. quod mihi] *qui mihi.*

Apollo, ut ais, sapientissimum iudicavit: huius enim facta, illius dicta laudantur. De me autem, ut iam cum utroque loquar, sic habetote.

III. Ego si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint sapientes; sed certe mentiar. moveor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo umquam erit, ut confirmare possum, nemo certe fuit. sed non egeo medicina; me ipse consolor et maxime illo solatio, quod eo errore careo, quo, amicorum decessu, plerique angi solent. Nihil mali accidisse Scipioni puto, mihi accidit, si quid accidit: suis autem incommodis graviter angi non amicum sed se ipsum amantis est. 11. Cum illo vero quis neget actum esse praeclare? nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatem optare vellet, quid non adeptus est, quod homini fas esset optare? Qui summam spem civium, quam de eo iam puero habuerant, continuo adolescens incredibili virtute superavit; qui consulatum petivit numquam, factus est consul bis: primum ante tempus; iterum sibi suo tempore, rei publicae pene sero; qui duabus urbibus eversis inimicissimis huic imperio non modo praesentia, verum etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis, de pietate in matrem, liberalitate in sorores, bonitate in suos, iustitia in omnis? nota sunt vobis. quam autem civitati carus fuerit, maerore funeris iudicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio iuvare potuisset? senectus enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante quam est mortuus mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam nunc erat

---

III. §. 10. nihil mali] *nihil enim mali.* §. 11. adeptus est] *est adeptus.* petivit] *petiit.* iudicatum] *indicatum.* est mortuus] *mortuus est.* etiam nunc] *etiamnum.*

Scipio. 12. Quam ob rem vita quidem talis fuit vel fortuna vel gloria, ut nihil posset accedere: moriendi autem sensum celeritas abstulit; quo de genere mortis difficile dictu est; quid homines suspicentur, videtis. hoc vere tamen licet dicere P. Scipioni ex multis diebus, quos in vita celeberrimos laetissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, cum senatu dimisso domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis, populo Romano, sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur deos potius, quam ad inferos pervenisse.

IV. 13. Neque enim assentior iis, qui haec nuper disserere coeperunt, cum corporibus simul animos interire atque omnia morte deleri. plus apud me antiquorum auctoritas valet: vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur; vel eorum, qui in hac terra fuerunt magnamque Graeciam, quae nunc quidem deleta est, tunc florebat, institutis et praeceptis suis erudiverunt; vel eius, qui Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus, qui non tum hoc tum illud, ut in plerisque, sed idem semper, animos hominum esse divinos iisque cum ex corpore excessissent, reditum in caelum patere optimo et iustissimo cuique expeditissimum. 14. Quod idem Scipioni videbatur, qui quidem quasi praesagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum et Philus et Manilius adessent et alii plures, tuque etiam, Scaevola, mecum venisses, triduum

---

III. §. 12. hoc vere tamen licet] *hoc tamen vere licet.* V. §. 13. erudiverunt] *erudierunt.* ex corpore] *e corpore.* ptimo] *optimoque.* §. 14. Quod idem] *Quod item.*

disseruit de re publica, cuius disputationis fuit extremum fere de immortalitate animorum, quae se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, ut optimi cuiusque animus in morte facillime evolet tamquam e custodia vinclisque corporis, cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse quam Scipioni? quocirca maerere hoc eius eventu vereor ne invidi magis quam amici sit. sin autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum nec ullus sensus maneat: ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. sensu enim amisso fit idem quasi natus non esset omnino; quem tamen esse natum et nos gaudemus et haec civitas dum erit laetabitur. 15. Quam ob rem cum illo quidem, ut supra dixi, actum optime est: mecum incommodius quem fuerat aequius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. Sed tamen recordatione nostrae amicitiae sic fruor, ut beate vixisse videar, quia cum Scipione vixerim, quocum mihi coniuncta cura de publica re et de privata fuit, quocum et domus fuit et militia communis et id in quo est omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. itaque non tam ista me sapientiae, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, falsa praesertim, quam quod amicitiae nostrae memoriam spero sempiternam fore; idque eo mihi magis est cordi, quod ex omnibus saeculis vix tria aut quattuor nominantur paria amicorum: quo in genere sperare videor Scipionis et Laeli amicitiam notam posteritati fore.

16. FANNIUS. Istuc quidem, Laeli, ita necesse est. Sed quoniam amicitiae mentionem fecisti et

---

IV. §. 15. de publica re et de privata] *de re publica et de privata.* domus fuit] *domus.* idque eo mihi magis] *idque mihi eo magis.* 16. Istuc quidem] *Istud quidem.*

sumus otiosi, pergratum mihi feceris — spero item Scaevolae —, si quem ad modum soles de ceteris rebus quae ex te quaeruntur, sic de amicitia disputaris, quid sentias, qualem existimes, quae praecepta des.

Scaevola. Mihi vero: atque id ipsum cum tecum agere conarer, Fannius antevortit: quam ob rem utrique nostrum gratum admodum feceris.

V. 17. Laelius. Ego vero non gravarer, si mihi ipse confiderem: nam et praeclara res est et sumus, ut dixit Fannius, otiosi. Sed quis ego sum? aut quae est in me facultas? doctorum est ista consuetudo eaque Graecorum, ut iis ponatur, de quo disputent quamvis subito. magnum opus est egetque exercitatione non parva. Quam ob rem quae disputari de amicitia possunt, ab eis censeo petatis, qui ista profitentur: ego vos hortari tantum possum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis; nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas vel adversas. 18. Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse: neque id ad vivum reseco, ut illi qui haec subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum: negant enim quemquam esse virum bonum nisi sapientem. sit ita sane; sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc nemo mortalis est consecutus: nos autem ea quae sunt in usu vitaque communi, non ea quae finguntur aut optantur spectare debemus. Numquam ego dicam C.

IV. §. 16. quae ex te] *quum ex te.* Mihi vero] *Mihi vero* [*pergratum erit*]. antevortit] *antevertit.* V. §. 17. aut quae est in me] *aut quae in me est.* §. 18. quemquam esse virum bonum] *quemquam virum bonum esse.* nemo mortalis] *mortalis nemo.*

Fabricium, M'. Curium, Ti. Coruncanium, quos sapientis nostri maiores iudicabant, ad istorum normam fuisse sapientis. Qua re sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum: concedant, ut hi viri boni fuerint. ne id quidem facient: negabunt id nisi sapienti posse concedi. 19. Agamus igitur pingui, ut aiunt, Minerva. qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequalitas, liberalitas, nec sit in eis ulla cupiditas, lubido, audacia, sintque magna constantia, ut ii fuerunt, modo quos nominavi; hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus, quia sequantur quantum homines possunt naturam optimam bene vivendi ducem. Sic enim mihi perspicere videor ita natos esse nos, ut inter omnis esset societas quaedam: maior autem, ut quisque proxime accederet. itaque cives potiores quam peregrini, propinqui quam alieni: cum his enim amicitiam natura ipsa peperit; sed ea non satis habet firmitatis. namque hoc praestat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest: sublata enim benevolentia amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet. 20. Quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intelligi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos iungeretur.

VI. Est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevo-

---

V. §. 18. viri boni] *boni viri.* §. 19. pingui, ut aiunt, Minerva] *pingui Minerva, ut aiunt.* aequalitas] *aequitas.* cupiditas, lubido, audacia] *cupiditas vel libido vel audacia.* §. 20. inter duos] *inter duo.* VI. Est enim] *Est autem.*

lentia et caritate consensio: qua quidem haut scio an excepta sapientia quidquam melius homini sit a dis immortalibus datum. divitias alii praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. beluarum hoc quidem extremum: illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem: sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. 21. Iam virtutem ex consuetudine vitae sermonisque nostri interpretemur, nec eam ut quidam docti verborum magnificentia metiamur virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. his communis vita contenta est: eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. 22. Talis igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere. principio qui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, quae non in amici mutua benevolentia conquiescat? quid dulcius quam habere quicum omnia audeas sic loqui ut tecum? qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui illis aeque ac tu ipse gauderet? adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam quam tu ferret. denique ceterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae fere rebus singulis: divitiae, ut utare; opes, ut colare; honores, ut laudere; voluptates, ut gaudeas; valetudo, ut dolore careas et muneribus fungare corporis. amicitia res plurimas continet; quoquo te verteris, praesto est, nullo loco excluditur, numquam in-

---

VI. §. 20. consensio] *summa consensio.* extremum] *extremum* [*est*]. §. 22. qui esset] *quis esset.* singulae fere rebus] *singulae rebus fere.*

tempestiva, numquam molesta est. itaque non aqua, non igne, ut aiunt, locis pluribus utimur, quam amicitia. Neque ego nunc de volgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum qui pauci nominantur fuit. nam et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores.

VII. 23. Cumque plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bona spe praelucet in posterum nec debilitari animos aut cadere patitur. verum enim amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes adsunt et egentes abundant et imbecilli valent et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. quod si exemeris ex rerum natura benevolentiae coniunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit; ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur, quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis et dissidiis funditus possit everti? ex quo quantum boni sit in amicitia, iudicari potest. 24. Agrigentinum quidem doctum quemdam virum carminibus Graecis vaticinatum ferunt: quae in rerum natura totoque mundo constarent, quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales

---

VI. §. 22. igne] *igni.* locis pluribus] *pluribus locis.* VII. §. 23. bona spe] *bonam spem.* odiis et dissidiis] *odiis atque dissidiis.*

et intelligunt et re probant. itaque si quando aliquod officium exstitit amici in periculis aut adeundis aut communicandis, quis est qui id non maximis ecferat laudibus? Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvi nova fabula! cum ignorante rege, uter esset Orestes, Pylades Orestem esse se diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera facturos fuisse? Facile indicabat ipsa natura vim suam, cum homines quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent.

Hac tenus mihi videor de amicitia quid sentirem potuisse dicere: si qua praeterea sunt — credo autem esse multa —, ab iis si videbitur, qui ista disputant, quaeritote.

25. Fannius. Nos autem a te potius: quamquam etiam ab istis saepe quaesivi et audivi non invitus equidem; sed aliud quoddam filum orationis tuae.

Scaevola. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum est de re publica disputatum, affuisses: qualis tum patronus iustitiae fuit contra accuratam orationem Phili!

Fannius. Facile id quidem fuit iustitiam iustissimo viro defendere.

Scaevola. Quid amicitiam? nonne facile ei, qui ob eam summa fide, constantia iustitiaque servatam maximam gloriam ceperit?

VIII. 26. Laelius. Vim hoc quidem est afferre. quid enim refert quà me ratione cogatis?

VII. §. 24. esse se] *se esse.*

cogitis certe. studiis enim generorum, praesertim in re bona, cum difficile est tum ne aequum quidem obsistere. Saepissime igitur mihi de amicitia cogitanti maxime illud considerandum videri solet, utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet; an esset hoc quidem proprium amicitiae, sed antiquior et pulcrior et magis a natura ipsa profecta alia caussa? Amor enim, ex quo amicitia nominata est, princeps est ad benevolentiam coniungendam. nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur saepe, qui simulatione amicitiae coluntur et observantur temporis caussa: in amicitia autem nihil fictum est, nihil simulatum, et quidquid est, id et verum est et voluntarium. 27. Quapropter a natura mihi videtur potius quam ab indigentia orta amicitia, applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest, quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus et ita ab eis amantur, ut facile earum sensus appareat. quod in homine multo est evidentius, primum ex ea caritate, quae est inter natos et parentis, quae dirimi nisi detestabili scelere non potest; deinde cum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cuius cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur. 28. Nihil est enim virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum: quippe cum propter virtutem et probi-

---

VIII. §. 26. ut dandis] *ut in dandis.* nominata est] *nominata.* fictum est — verum est] *fictum — verum.* §. 27. et ita ab eis] *et ab eis ita.* §. 28. virtute amabilius] *amabilius virtute.*

tatem etiam eos, quos numquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis est qui C. Fabrici, M'. Curi non cum caritate aliqua benevolentiae memoriam usurpet, quos numquam viderit? quis est autem qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, Pyrrho et Annibale: ab altero propter probitatem eius non nimis alienos animos habemus, alterum propter crudelitatem semper haec civitas oderit.

IX. 29. Quod si tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis quos numquam vidimus, vel quod maius est, in hoste etiam diligamus; quid mirum est, si animi hominum moveantur, cum eorum quibuscum usu coniuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur? Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto et studio perspecto et consuetudine adiuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo. quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit per quem assequatur, quod quisque desideret; humilem sane relinquunt et minime generosum ut ita dicam ortum amicitiae, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Quod si ita esset; ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus: quod longe secus est. 30. Ut enim quisque sibi plurimum confidit et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat suaque omnia in se ipso posita iudicet; ita in amicitiis expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim?

VIII. §. 28. etiam eos] *eos etiam*. aliqua benevolentiae] *aliqua et benevolentia*. quis est autem] *quis autem est*. IX. §. 29. mirum est] *mirum*.

Africanus indigens mei? Minime hercle! ac ne ego quidem illius: sed ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit; auxit benevolentiam consuetudo. Sed quamquam utilitates multae et magnae consecutae sunt, non sunt tamen ab earum spe caussae diligendi profectae. 31. Ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam — neque enim beneficium feneramur, sed natura propensi ad liberalitatem sumus —, sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis eius fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. 32. At ii qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt, nec mirum. nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnis cogitationes abiecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Quam ob rem hos quidem ab hoc sermone removeamus: ipsi autem intelligamus natura gigni sensum diligendi et benevolentiae caritatem facta significatione probitatis: quam qui appetiverunt, applicant se et propius admovent, ut et usu eius quem diligere coeperunt, fruantur et moribus: suntque pares in amore et aequales propensioresque ad bene merendum quam ad reposcendum, atque haec inter eos fit honesta certatio. Sic et utilitates ex amicitia maximae capientur et erit eius ortus a natura quam ab imbecillitate et gravior et verior. nam utilitas si amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret: sed quia natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt.

IX. §. 32. se] *sese.* moribus: suntque] *moribus sintque.* reposcendum, atque] *reposcendum. Atque.* utilitas si] *si utilitas.*

Ortum quidem amicitiae videtis, nisi quid ad haec forte voltis.

FANNIUS. Tu vero perge, Laeli! Pro hoc enim, qui minor est natu, meo iure respondeo.

33. SCAEVOLA. Recte tu quidem: quam ob rem audiamus.

X. Audite vero, optimi viri, ea quae saepissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur: quamquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum vitae diem permanere. nam vel ut non idem expediret, incidere saepe, vel ut de re publica non idem sentiretur: mutari etiam mores hominum saepe dicebat, alias adversis rebus, alias aetate ingravescente. atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis, quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta toga ponerentur: 34. sin autem ad adolescentiam perduxissent, dirimi tamen interdum contentione vel uxoriae conditionis vel commodi alicuius, quod idem adipisci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia provecti essent, tamen saepe labefactari, si in honoris contentionem incidissent: pestem enim nullam maiorem esse amicitiis, quam in plerisque pecuniae cupiditatem, in optimis quibusque honoris certamen et gloriae; ex quo inimicitias maximas saepe inter amicissimos exstitisse. 35. Magna etiam discidia et plerumque iusta nasci, cum aliquid ab amicis quod rectum non esset postularetur, ut aut lubidinis ministri aut adiutores essent ad iniuriam. quod qui recu-

---

X. §. 33. Audite vero] *Audite ergo.* extremum vitae diem] *extremum vitae.* praetexta toga] *praetexta.* §. 34. nullam maiorem esse amicitiis] *maiorem esse nullam in amicitiis.* §. 35. discidia] *dissidia.*

sarent, quamvis honeste id facerent, ius tamen amicitiae deserere arguerentur ab iis, quibus obsequi nollent; illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri, omnia se amici caussa esse facturos. eorum querela inveteratas non solum familiaritates exstingui solere, sed odia etiam gigni sempiterna.

Haec, itaque multa quasi fata impendere amicitiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiae, sed etiam felicitatis diceret sibi videri.

XI. 36. Quam ob rem id primum videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. numne si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuerunt? num Viscellinum amici regnum appetentem, num Sp. Maelium debuerunt iuvare? 37. Ti. quidem Gracchum rem publicam vexantem a Q. Tuberone aequalibusque amicis derelictum videbamus. At C. Blossius Cumanus, hospes familiae vestrae, Scaevola, cum ad me, qui aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc ut sibi ignoscerem caussam afferebat, quod tanti Ti. Gracchum fecisset, ut quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret. tum ego: *Etiam ne, si te in Capitolium faces ferre vellet?* „*Numquam*", inquit, „*voluisset id quidem: sed si voluisset, paruissem.*" Videtis quam nefaria vox. Et hercule ita fecit vel plus etiam quam dixit: non paruit enim ille Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit; nec se comitem illius furoris, sed ducem praebuit.

X. §. 35. odia etiam] *etiam odia.* Haec, itaque multa] *Haec ita multa.* C. XI. §. 36. numne si] *Num, si.* §. 37. *Etiamne, si*] *Etiamne, inquam, si. sed si voluisset, paruissem.*] *sed, si voluisset? Paruissem.* hercule] *hercle.* non paruit enim] *non enim paruit.*

Itaque hac amentia quaestione nova perterritus in Asiam profugit, ad hostis se contulit, poenas rei publicae gravis iustasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici caussa peccaveris: nam cum conciliatrix amicitiae virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. 38. Quod si rectum statuerimus vel concedere amicis quidquid velint vel impetrare ab eis quidquid velimus; perfecta sapientia simus, si nihil habeat res viti: sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos vidimus aut de quibus memoriam accepimus, quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt et eorum quidem maxime, qui ad sapientiam proxime accedunt. 39. Videmus Papum Aemilium C. Luscino familiarem fuisse — sic a patribus accepimus — bis una consules, collegas in censura; tum et cum iis et inter se coniunctissimos fuisse M'. Curium Ti. Coruncanium memoriae proditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus quemquam horum ab amico quidpiam contendisse, quod contra fidem, contra ius iurandum, contra rem publicam esset. nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere, si contendisset, impetraturum non fuisse; cum illi sanctissimi viri fuerint, aeque autem nefas sit tale aliquid et facere rogatum et rogare? At vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo C. Cato et minime tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus.

XII. 40. Haec igitur lex in amicitia sanciatur ut neque rogemus res turpis nec faciamus rogati. Turpis enim excusatio est et minime accipienda

---

XI. §. 39. M'. Curium Ti. Coruncanium] *M'. Curium et Ti. Coruncanium.*

cum in ceteris peccatis, tum si quis contra rem publicam se amici caussa fecisse fateatur. etenim eo loco, Fanni et Scaevola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus rei publicae. deflexit iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum. 41. Ti. Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos mensis. num quid simile populus Romanus audierat aut viderat? Hunc etiam post mortem secuti amici et propinqui quid in P. Scipione effecerint sine lacrimis non queo dicere. nam Carbonem quoquo modo potuimus propter recentem poenam Ti. Gracchi sustinuimus. de C. autem Gracchi tribunatu quid exspectem non lubet augurari: serpit deinde res, quae proclivius ad perniciem cum semel coepit labitur. Videtis in tabel'a iam ante quanta sit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem post Cassia. Videre iam videor populum a senatu disiunctum, multitudinis arbitrio res maximas agi. plures enim discent quem ad modum haec fiant quam quem ad modum his resistatur. 42. Quorsum haec? quia sine sociis nemo quidquam tale conatur. praecipiendum est igitur bonis, ut si in huiusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment ita se alligatos, ut ab amicis in [magna aliqua] re publica peccantibus non discedant: improbis autem poena statuenda est; nec vero minor iis, qui secuti erunt alterum, quam iis qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Graecia Themistocle? quis potentior? qui cum imperator bello Persico servitute Graeciam liberasset propterque invidiam in exsilium expulsus esset, ingratae patriae iniuriam non tulit, quam ferre debuit: fecit idem quod XX annis ante apud nos

XII. §. 41. quanta sit facta] *quanta facta sit.* §. 42. in exsilium expulsus esset] *in exsilium isset.*

fecerat Coriolanus. his adiutor contra patriam inventus est nemo: itaque sibi mortem uterque conscivit. 43. Qua re talis improborum consensio non modo excusatione amicitiae tegenda non est, sed potius supplicio omni vindicanda, ut ne quis concessum putet, amicum vel bellum patriae inferentem sequi. Quod quidem, ut res ire coepit, haut scio an aliquando futurum sit: mihi autem non minori curae est, qualis res publica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

XIII. 44. Haec igitur prima lex amicitiae sanciatur, ut ab amicis honesta petamus, amicorum caussa honesta faciamus, ne exspectemus quidem, dum rogemur; studium semper assit, cunctatio absit, consilium vero dare audeamus libere. plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas, eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit, et adhibitae pareatur. 45. Nam quibusdam quos audio sapientis habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam — sed nihil est quod illi non persequantur argutius —: partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus; satis superque esse sibi suarum cuique rerum; alienis nimis implicari molestum esse: commodissimum esse quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas cum velis vel remittas; caput enim esse ad beate vivendum securitatem, qua frui non possit animus, si tamquam parturiat unus pro pluribus. 46. Alios autem dicere aiunt multo etiam inhuma-

---

XII. §. 42. sibi mortem] *mortem sibi.* §. 43. supplicio omni] *omni supplicio.* Quis concessum] *quis [sibi] concessum.* ire coepit] *coepit ire.* §. 45. argutius] *suis argutiis.* sibi suarum cuique] *suarum cuique.*

nius — quem locum breviter perstrinxi paullo ante — praesidi adiumentique caussa, non benevolentiae neque caritatis amicitias esse expetendas: itaque ut quisque minimum firmitatis haberet minimumque virium, ita amicitias appetere maxime: ex eo fieri, ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant quam viri, et inopes quam opulenti, et calamitosi quam ii qui putantur beati. 47. O praeclaram sapientiam! solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt: qua nihil a dis immortalibus melius habemus, nihil iucundius. quae est enim ista securitas? specie quidem blanda, sed reapse multis locis repudianda. neque enim est consentaneum ullam honestam rem actionemve, ne sollicitus sis, aut non suscipere aut susceptam deponere. Quod si curam fugimus, virtus fugienda est, quae necesse est cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur atque oderit; ut bonitas malitiam, temperantia lubidinem, ignaviam fortitudo. itaque videas rebus iniustis iustos maxime dolere, imbellibus fortis, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi bene constituti et laetari bonis rebus et dolere contrariis. 48. Quam ob rem si cadit in sapientem animi dolor — qui profecto cadit nisi ex eius animo exstirpatam humanitatem arbitramur —, quae caussa est cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias? Quid enim interest motu animi sublato, non dico inter pecudem et hominem, sed inter hominem et truncum aut saxum aut quidvis generis eiusdem? neque enim sunt isti

---

XIII. §. 46. haberet] *habeat.* §. 48. pecudem et hominem] *hominem et pecudem.* et truncum aut saxum] *et saxum aut truncum.*

audiendi, qui virtutem duram et quasi ferream esse quandam volunt: quae quidem est cum multis in rebus, tum in amicitia tenera atque tractabilis, ut et bonis amici quasi diffundantur et incommodis contrahantur. Quam ob rem angor iste, qui pro amico saepe capiendus est, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam, non plus quam ut virtutes, quia nonnullas curas et molestias afferunt, repudientur.

XIV. Cum autem contrahat amicitiam, ut supra dixi, si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus applicet et adiungat, id cum contingit, amor exoriatur necesse est. 49. Quid enim tam absurdum quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut aedificio, ut vestitu cultuque corporis; animo autem virtute praedito, eo qui vel amare vel ut ita dicam redamare possit, non admodum delectari? Nihil est enim remuneratione benevolentiae, nihil vicissitudine studiorum officiorumque iucundius. 50. Quid? si illud etiam addimus, quod recte addi potest, nihil esse quod ad se rem ullam tam alliciat et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo: concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant asciscantque sibi quasi propinquitate coniunctos atque natura. nihil est enim appetentius similium sui nec rapacius quam natura. Quam ob rem hoc quidem, Fanni et Scaevola, constat ut opinor bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam, qui est amicitiae fons a natura constitutus. sed eadem bonitas etiam ad multi-

---

XIII. §. 48. ferream esse quandam] *ferream quandam.* diffundantur — contrahantur] *diffundatur — contrahatur.* XIV. §. 50. Quid? si illud etiam addimus] *Quod si etiam illud addimus.* sui nec rapacius] *sui, nihil rapacius.*

tudinem pertinet. non enim est inhumana virtus neque immunis neque superba, quae etiam populos universos tueri eisque optime consulere soleat; quod non faceret profecto, si a caritate volgi abhorreret. 51. Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatum caussa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiae tollere. non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat: tumque illud fit, quod ab amico est profectum, iucundum, si cum studio est profectum; tantumque abest, ut amicitiae propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus et copiis maximeque virtute praediti, in qua plurimum est praesidi, minime alterius indigeant, liberalissimi sint et beneficentissimi. atque haut sciam an ne opus sit quidem nihil umquam omnino deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si numquam consilio, numquam opera nostra nec domi nec militiae Scipio eguisset? Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est.

XV. 52. Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu nec ratione habent cognitam, disputabunt. nam quis est, pro deorum fidem atque hominum! qui velit, ut neque diligat quemquam nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere? haec enim tyrannorum vita, nimirum in qua nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia; omnia semper suspecta atque sollicita, nullus locus amicitiae. 53. Quis enim aut eum

---

XIV. §. 50. non enim est] *non est enim.* §. 51. utilitatum] *utilitatis.* haut sciam an] *haud scio, an.* XV. §. 52. deorum] *deûm.* haec enim] *Haec est enim.* nimirum in qua] *in qua nimirum.*

diligat, quem metuat, aut eum, a quo se metui putet? coluntur tamen simulatione dumtaxat ad tempus. Quod si forte, ut fit plerumque, ceciderint; tum intelligitur quam fuerint inopes amicorum. quod Tarquinium dixisse ferunt, tum exsulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, cum iam neutris gratiam referre posset. 54. Quamquam miror illa superbia et importunitate si quemquam amicum habere potuit. atque ut huius, quem dixi, mores veros amicos parare non potuerunt, sic multorum opes praepotentium excludunt amicitias fidelis. non enim solum ipsa fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est. itaque ecferuntur fere fastidio et contumacia, nec quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. atque hoc quidem videre licet eos qui antea commodis fuerint moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari, sperni ab iis veteres amicitias, indulgeri novis. 55. Quid autem stultius quam cum plurimum copiis, facultatibus, opibus possint, cetera parare, quae parantur pecunia, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa; amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitae ut ita dicam supellectilem?

Etenim cetera cum parantur, cui parentur nesciunt nec cuius caussa laborent: eius enim est istorum quidque, qui vicit viribus: amicitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio, ut etiam si illa maneant, quae sunt quasi dona fortunae, ta-

---

XV. §. 53. tum exsulantem se] *tum* [*exsulantem*] *se*. §. 54. quemquam amicum habere] *quemquam habere*. nec quidquam] *neque quidquam*. fuerint] *fuerunt*. §. 55. cum parantur, cui parentur] *cum parant, cui parent*. eius enim est] *eius est enim*. qui vicit] *qui vincit*.

men vita inculta et deserta ab amicis non possit esse iucunda.

Sed haec hactenus.

XVI. 56. Constituendi autem sunt, qui sint in amicitia fines ut quasi termini diligendi; de quibus tris video sententias ferri, quarum nullam probo: unam ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos; alteram ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiae pariter aequaliterque respondeat; tertiam ut quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. 57. Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. nec enim illa prima vera est, ut quem ad modum in se quisque, sic in amicum sit animatus. quam multa enim quae nostri caussa numquam faceremus, facimus amicorum! precari ab indigno, supplicare, tum acerbius in aliquem invehi insectarique vehementius, quae in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime: multaeque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt detrahique patiuntur, ut iis amici potius quam ipsi fruantur. 58. Altera sententia est, quae definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. divitior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia nec observare restricte, ne plus reddat quam acceperit. Neque enim verendum est, ne quid excidat aut ne quid in terram defluat aut ne plus aequo quid in amicitiam congeratur. 59. Tertius vero ille finis deterrimus, ut quanti quisque se ipse faciat,

---

XVI. §. 56. autem sunt] *sunt autem.* erga amicum] *erga amicos.* §. 57. nostri caussa] *nostra caussa.* §. 58. ne plus aequo quid] *ne plus aequo.*

tanti fiat ab amicis. saepe enim in quibusdam aut animus abiectior est aut spes amplificandae fortunae fractior. non est igitur amici talem esse in eum, qualis ille in se est, sed potius eniti et efficere, ut amici iacentem animum excitet inducatque in spem cogitationemque meliorem. alius igitur finis verae amicitiae constituendus est, si prius quid maxime reprehendere Scipio solitus sit edixero. negabat ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri, quam eius qui dixisset ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus: nec vero se adduci posse, ut hoc quem ad modum putaretur, a Biante esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset unus e septem; impuri cuiusdam aut ambitiosi aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam. quonam enim modo quisquam amicus esse poterit eius, cui se putabit inimicum esse posse? quin etiam necesse erit cupere et optare, ut quam saepissime peccet amicus, quo plures det sibi tamquam ansas ad reprehendendum: rursum autem recte factis commodisque amicorum necesse erit angi, dolere, invidere. 60. Qua re hoc quidem praeceptum cuiuscumque est, ad tollendam amicitiam valet: illud potius praecipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. quin etiam si minus felices in diligendo fuissemus, ferendum id Scipio potius quam inimicitiarum tempus cogitandum putabat.

XVII. 61. His igitur finibus utendum arbitror, ut cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum,

---

XVI. §. 59. poterit eius, cui] *poterit, cui.* necesse erit angi] [*necesse erit*] *angi.* §. 60. in diligendo] *in deligendo.*

voluntatum sine ulla exceptione communitas: ut etiam si qua fortuna acciderit, ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum de via sit, modo ne summa turpitudo sequatur: est enim quatenus amicitiae dari venia possit. nec vero negligenda est fama; nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium, quam blanditiis et assentando colligere turpe est. Virtus quam sequitur caritas minime repudianda est. 62. Sed — saepe enim redeo ad Scipionem, cuius omnis sermo erat de amicitia — querebatur, quod in rebus omnibus homines diligentiores essent: capras et ovis quot quisque haberet, dicere posse, amicos quot haberet non posse dicere: et in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligentis esse, nec habere quasi signa quaedam et notas, quibus eos qui ad amicitiam essent idonei iudicarent. sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi, cuius generis est magna penuria: et iudicare difficile est sane nisi expertum; experiendum autem est in ipsa amicitia: ita praecurrit amicitia iudicium tollitque experiendi potestatem. 63. Est igitur prudentis sustinere ut currum sic impetum benevolentiae quo utamur quasi equis tentatis, sic amicitia aliqua parte periclitatis moribus amicorum. quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur quam sint leves; quidam autem, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. sin erunt aliqui reperti qui pecuniam praeferre amicitiae sordidum existiment: ubi eos

---

XVII. §. 61. de via sit] *sit de via.* §. 62. Sed — saepe enim] *Sed saepe — etenim.* in rebus omnibus] *omnibus in rebus.* autem est] *est autem.* §. 63. amicitia aliqua parte] *amicitiis, aliqua parte.* quidam autem] *quidam.*

inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiae non anteponant, ut cum ex altera parte proposita haec sint, ex altera ius amicitiae, non multo illa malint? imbecilla enim est natura ad contemnendam potentiam: quam etiam si neglecta amicitia consecuti sunt, obscuratum iri arbitrantur, quia non sine magna caussa sit neglecta amicitia. 64. Itaque verae amicitiae difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publica versantur. ubi enim istum invenias qui honorem amici anteponat suo? Quid? haec ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates! ad quas non est facile inventu qui descendant. quamquam Ennius recte:

amicus certus in re incerta cernitur:

tamen haec duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt, aut si in bonis rebus contemnunt aut in malis deserunt.

XVIII. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro genere hominum iudicare debemus et pene divino. 65. Firmamentum autem stabilitatis constantiaeque est eius, quam in amicitia quaerimus, fides. nihil est enim stabile, quod infidum. Simplicem praeterea et communem et consentientem, id est, qui rebus eisdem moveatur, eligi par est: quae omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum; neque vero, qui non

---

XVII. §. 63. est natura] *natura est.* §. 64. descendant] *descendat.* XVIII. genere hominum] *hominum genere.* §. 65. est eius] *eius.* fides] *fides est.* est enim stabile] *enim stabile est.* consentientem, id est, qui] *consentientem, qui.* pertinent omnia] *omnia pertinent.*

eisdem rebus movetur naturaque consentit, aut fidus aut stabilis potest esse. Addendum eodem est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur aut credat oblatis; quae pertinent omnia ad eam, quam iam dudum tracto, constantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam nisi inter bonos esse non posse. est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, haec duo tenere in amicitia: primum, ne quid fictum sit neve simulatum; aperte enim vel odisse magis ingenui est quam fronte occultare sententiam: deinde non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum semper aliquid existimantem ab amico esse violatum. 66. Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum haut quaquam mediocre condimentum amicitiae: tristitia autem et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem, sed amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

XIX. 67. Exsistit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis: num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere solemus. — indigna dubitatio homine! non enim debent esse amicitiarum sicut aliarum rerum satietates. veterrima quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, esse debent suavissima: verumque illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. 68. Novitates autem si spem afferunt, ut tamquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sunt illae

XIX. §. 67. dubitatio homine] *homine dubitatio*. debent esse amicitiarum] *amicitiarum debent esse*.

quidem repudiandae, vetustas tamen loco suo conservanda: maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis. Quin in ipso equo, cuius modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, quin eo, quo consuevit, lubentius utatur quam intractato et novo: nec vero in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quae sunt inanimata, consuetudo valet: cum locis ipsis delectemur, montuosis etiam et silvestribus, in quibus diutius commorati sumus.

69. Sed maximum est in amicitia parem esse inferiori superiorem: saepe enim excellentiae quaedam sunt, qualis erat Scipionis in nostro ut ita dicam grege. numquam se ille Philo, numquam Rupilio, numquam Mummio anteposuit, numquam inferioris ordinis amicis. Q. vero Maximum fratrem, egregium virum omnino, sibi nequaquam parem, quod is anteibat aetate, tamquam superiorem colebat, suosque omnis per se esse ampliores volebat. 70. Quod faciundum imitandumque est omnibus, ut si quam praestantiam virtutis, ingeni, fortunae consecuti sunt, impertiant ea suis communicentque cum proximis; ut si parentibus nati sint humilibus, si propinquos habeant imbecilliores vel animo vel fortuna, eorum augeant opes eisque honori sint et dignitati: ut in fabulis qui aliquamdiu propter ignorationem stirpis et generis in famulatu fuerint, cum cogniti sunt et aut deorum aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt. Quod est multo profecto

---

XIX. §. 68. loco suo] *suo loco.* quin in ipso] *quin ipso,* quin] *qui non.* inaminata] *inanima.* §. 69. par. esse infer. superiorem] *superiorem p. esse inferiori.* §. 70. faciundum] *faciendum.* quod est multo] *quod multo.*

magis in veris patribus certisque faciundum. fructus enim ingeni et virtutis omnisque praestantiae tum maximus capitur, cum in proximum quemque confertur.

XX. 71. Ut igitur ii, qui sunt in amicitiae coniunctionisque necessitudine superiores, exaequare se cum inferioribus debent: sic inferiores non dolere se a suis aut ingenio aut fortuna aut dignitate superari. quorum plerique aut queruntur semper aliquid aut etiam exprobrant: eoque magis, si habere se putant, quod officiose et amice et cum labore aliquo suo factum queant dicere. Odiosum sane genus hominum officia exprobrantium: quae meminisse debet is in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. 72. Quam ob rem ut ii, qui superiores sunt, submittere se debent in amicitia, sic quodam modo inferiores extollere. Sunt enim quidam, qui molestas amicitias faciunt, cum ipse se contemni putant: quod non fere contingit nisi iis, qui etiam contemnendos se arbitrantur, qui hac opinione non modo verbis, sed etiam opere levandi sunt. 73. Tantum autem cuique tribuendum, primum quantum ipse efficere possis; deinde etiam quantum ille, quem diligas atque adiuves, sustinere. non enim neque tu possis, quantumvis excellas, omnis tuos ad honores amplissimos perducere: ut Scipio P. Rupilium potuit consulem efficere, fratrem eius Lucium non potuit. quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen, quid ille possit sustinere.

74. Omnino amicitiae corroboratis iam confirmatisque et ingeniis et aetatibus iudicandae sunt,

---

XIX. §. 70. faciundum] *faciendum.* XX. §. 73. neque tu possis] *tu possis.* quantumvis excellas] *quamvis licet excellas*

nec si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerunt, eos habere necessarios, quos tum eodem studio praeditos dilexerunt. isto enim modo nutrices et paedagogi iure vetustatis plurimum benevolentiae postulabunt: qui neglegendi quidem non sunt, sed alio quodam modo. Aliter amicitiae stabiles permanere non possunt. dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam caussam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia. 75. Recte etiam praecipi potest in amicitiis, ne intemperata quaedam benevolentia, quod persaepe fit, impediat magnas utilitates amicorum. nec enim, ut ad fabulas redeam, Troiam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrimis iter suum impedientem audire voluisset. Et saepe incidunt res magnae, ut discedendum ab amicis sit: quas qui impedire volt, quod disiderium non facile ferat, is et infirmus est mollisque natura et ob eam ipsam caussam in amicitia parum iustus. 76. Atque in omni re considerandum est et quid postules ab amico et quid patiare a te impetrari.

XXI. Est etiam quaedam calamitas in amicitiis dimittendis non numquam necessaria: iam enim a sapientium familiaritatibus ad volgaris amicitias oratio nostra delabitur. erumpunt saepe vitia amicorum tum in ipsos amicos tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiae sunt remissione usus eluendae et

---

XX. §. 74. fuerunt] *fuerit*. §. 75. res magnae] *magnae res*. ab amicis sit] *sit ab amicis*. XXI. §. 76. etiam quaedam] *etiam quasi quaedam*.

ut Catonem dicere audivi, dissuendae magis quam discindendae, nisi quaedam admodum intolerabilis iniuria exarserit, ut neque rectum neque honestum sit, nec fieri possit, ut non statim alienatio disiunctioque facienda sit. 77. Sin autem aut morum aut studiorum commutatio quaedam, ut fieri solet, facta erit aut in rei publicae partibus dissensio intercesserit — loquor enim iam, ut paullo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis —, cavendum erit, ne non solum amicitiae depositae, sed etiam inimicitiae susceptae videantur. nihil enim turpius quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompei meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio; propter dissensionem autem, quae erat in re publica, alienatus est a collega nostro Metello: utrumque egit graviter, auctoritate et offensione animi non-acerba. 78. Quam ob rem primum danda opera est, ne qua amicorum discidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut exstinctae potius amicitiae quam oppressae esse videantur. Cavendum vero, ne etiam in gravis inimicitias convertant se amicitiae: ex quibus iurgia, maledicta, contumeliae gignuntur. quae tamen si tolerabiles erunt, ferendae sunt; et hic honos veteri amicitiae tribuendus, ut is in culpa sit qui faciat, non is qui patiatur iniuriam.

Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est atque una provisio, ut ne nimis cito diligere incipiant neve non dignos. 79. Digni autem sunt amicitia, quibus in

---

XXI. §. 77. Sin autem aut morum] *Sin autem morum.* sed etiam inimicitiae] *sed inimicitiae etiam.* §. 78. discidia] *dissidia.*

ipsis inest caussa cur diligantur. Rarum genus! et quidem omnia praeclara rara, nec quidquam difficilius quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. sed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit, et amicos tamquam pecudes eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. 80. Ita pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia per se et propter se expetita, nec ipsi sibi exemplo sunt, haec vis amicitiae qualis et quanta sit. ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam ipse a se mercedem exigat caritatis suae, sed quod per se sibi quisque carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferetur, verus amicus numquam reperietur; est enim is quidem tamquam alter idem. 81. Quod si hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primum ut ipsae diligant se — id enim pariter cum omni animante nascitur —, deinde ut requirant atque appetant, ad quas se applicent eiusdem generis animantis; idque faciunt cum desiderio et cum quadam similitudine amoris humani: quanto id magis in homine fit natura, qui et se ipse diligit et alterum anquirit, cuius animum ita cum suo misceat, ut efficiat pene unum ex duobus?

XXII. 82. Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, talem habere amicum volunt, quales ipsi esse non possunt: quaeque ipsi non tribuunt amicis, haec ab eis desiderant. par est autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quaerere. In talibus ea, quam iam

---

XXI. §. 80. expetita] *expetenda.* ipse a se] *a se ipse.* §. 81. ipsae diligant se] *se ipsae diligant.* XXII. §. 82. talem habere amicum] *amicum habere talem.*

dudum tractamus, stabilitas amicitiae confirmari potest, cum homines benevolentia coniuncti primum cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperabunt; deinde aequitate iustitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet, neque quidquam umquam nisi honestum et rectum alter ab altero postulabit; neque solum colent inter se ac diligent, sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. 83. Itaque in iis perniciosus est error, qui existimant, lubidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum amicitia adiutrix a natura data est, non vitiorum comes, ut quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quae summa sunt, pervenire, coniuncta et consociata cum altera perveniret. Quae si quos inter societas aut est aut fuit aut futura est, eorum est habendus ad summum naturae bonum optimus beatissimusque comitatus.

84. Haec est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quae putant homines expetenda, honestas, gloria tranquillitas animi atque iucunditas: ut et cum haec assint beata vita sit et sine his esse non possit. quod cum optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua nec amicitiam neque ullam rem expetendam consequi possumus: ea vero neglecta qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, cum eos gravis aliquis casus experiri cogit. 85. Quocirca — dicendum est enim saepius — cum iudicaris, diligere oportet, non cum dilexeris, iudicare. Sed cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxi-

---

XXII. §. 85. indicaris] *iudicaveris.*

me in amicitiis et diligendis et colendis: praeposteris enim utimur consiliis et acta agimus, quod vetamur vetere proverbio. nam implicati ultro et citro vel usu diuturno vel etiam officiis repente in medio cursu amicitias exorta aliqua offensione dirumpimus.

XXIII. 86. Quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariae tanta incuria. una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt: quamquam a multis virtus ipsa contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur. multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat; honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil esse levius existiment! itemque cetera, quae quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii qui ad rem publicam se contulerunt et ii qui rerum cognitione doctrinaque delectantur et ii qui suum negotium gerunt otiosi, postremo ii qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. 87. Serpit enim nescio quo modo per omnium vitas amicitia, nec ullam aetatis degendae rationem patitur esse expertem sui. Quin etiam si quis asperitate ea est et immanitate naturae, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus; tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem,

---

XXII. §. 85. et diligendis] *et deligendis.* XXIII. §. 86. virtus ipsa] *ipsa virtus.* §. 87. asperitate ea est] *ea asperitate est.*

apud quem evomat virus acerbitatis suae. Atque hoc maxime iudicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret et in solitudine uspiam collocaret atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam, hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet. Quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? 88. Verum ergo illud est, quod a Tarentino Archyta ut opinor dici solitum nostros senes commemorare audivi ab aliis senibus auditum: *si quis in caelum ascendisset naturamque mundi et pulcritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore, quae iucundissima fuisset, si aliquem cui narraret habuisset.* Sic natura solitarium nihil amat semperque ad aliquod tamquam adminiculum adnititur: quod in amicissimo quoque dulcissimum est.

XXIV. Sed cum tot signis eadem natura declaret quid velit, anquirat, desideret, tamen obsurdescimus nescio quo modo, nec ea quae ab ea monemur audimus. est enim varius et multiplex usus amicitiae multaeque caussae suspicionum offensionumque dantur, quas tum evitare tum elevare tum ferre sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut et utilitas in amicitia et fides retineatur: nam et monendi amici saepe sunt et obiurgandi et haec accipienda amice, cum benevole fiunt. 89. Sed

---

XXIV. §. 88. tamen obsurdescimus] *obsurdescimus tamen.* utilitas in amicitia] *veritas in amicitia.*

nescio quo modo verum est quod in Andria familiaris meus dicit:

obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiae, sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens praecipitem amicum ferri sinit; maxima autem culpa in eo, qui et veritatem aspernatur et in fraudem obsequio impellitur. Omnis igitur hac in re habenda ratio et diligentia est, primum ut monitio acerbitate, deinde ut obiurgatio contumelia careat. In obsequio autem, quoniam Terentiano verbo lubenter utimur, comitas assit, assentatio vitiorum adiutrix procul amoveatur, quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est: aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. 90. Cuius autem aures clausae veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est. scitum est enim illud Catonis, ut multa: *melius de quibusdam acerbos inimicos mereri quam eos amicos, qui dulces videantur: illos saepe verum dicere, hos numquam.* Atque illud absurdum, quod ii qui monentur, eam molestiam quam debent capere non capiunt; eam capiunt qua debent vacare. peccasse enim se non anguntur, obiurgari moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.

XXV. 91. Ut igitur et monere et moneri proprium est verae amicitiae et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est nullam in

---

XXIV. §. 90. clausae veritati sunt] *veritati clausae sunt.*

amicitiis pestem esse maiorem quam adulationem, blanditiam, assentationem. quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum levium hominum atque fallacium ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. 92. Cum autem omnium rerum simulatio vitiosa est — tollit enim iudicium veri idque adulterat —, tum amicitiae repugnat maxime: delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiae valere non potest. nam cum amicitiae vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex? 93. Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus eius, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam voltum atque nutum convertitur?

Negat quis, nego: ait, aio: postremo imperavi egomet mihi
omnia assentari.

ut ait idem Terentius, sed ille in Gnathonis persona, quod amici genus adhibere omnino levitatis est. 94. Multi autem Gnathonum similes cum sint loco, fortuna, fama superiores, horum est assentatio molesta, cum ad vanitatem accessit auctoritas. 95. Secerni autem blandus amicus a vero et internosci tam potest, adhibita diligentia, quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. Concio quae ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem et levem civem et inter constantem, severum et gravem. 96. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in auris con-

XXV. §. 92. vitiosa est] *est vitiosa.* §. 93. ille in Gnathonis] *ille sub Gnathonis.*

cionis, cum ferret legem de tribunis plebis reficiendis! Dissuasimus nos, sed nihil de me: de Scipione dicam lubentius. quanta illi, di immortales! fuit gravitas, quanta in oratione maiestas! ut facile ducem populi Romani, non comitem diceres. Sed affuisti et est in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragiis populi repudiata est. Atque ut ad me redeam, meministis, Q. Maximo fratre Scipionis et L. Mancino consulibus quam popularis lex de sacerdotiis C. Licini Crassi videbatur! cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primus instituit in forum versus agere cum populo: tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium nobis defendentibus facile vincebat. Atque id actum est praetore me, quinquennio ante quam consul sum factus. Ita re magis quam summa auctoritate caussa illa defensa est.

XXVI. 97. Quod si in scena, id est in concione, in qua rebus fictis et adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum et illustratum est: quid in amicitia fieri oportet, quae tota veritate perpenditur? in qua nisi ut dicitur apertum pectus videas tuumque ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas; ne amare quidem aut amari, cum id quam vere fiat ignores. Quamquam ista assentatio quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei qui eam recipit atque ea delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat auris suas maxime, qui ipse sibi assentetur et se maxime ipse delectet. 98. Omnino est amans sui virtus; optime enim

---

XXV. §. 96. quam summa auctoritate] *quam auctoritate.* XXVI. §. 97. atque ea delectatur] *atque in ea delectatur.*

se ipsa novit quamque amabilis sit intelligit: ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinione. virtute enim ipsa non tam multi praediti esse, quam videri volunt. Hos delectat assentatio, his fictus ad ipsorum voluntatem sermo cum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant. Nulla est igitur haec amicitia, cum alter verum audire non volt, alter ad mentiendum paratus est. Nec parasitorum in comoediis assentatio faceta obis videretur, nisi essent milites gloriosi.

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

satis erat respondere: *magnas; ingentis*, inquit. Semper auget assentator id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, volt esse magnum. 99. Quam ob rem quamquam blanda ista vanitas apud eos valet, qui ipsi illam allectant atque invitant; tamen etiam graviores constantioresque admonendi sunt, ut animadvertant, ne callida assentatione capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors: callidus ille et occultus ne se insinuet, studiose cavendum est. Nec enim facillime agnoscitur, quippe qui etiam adversando saepe assentetur et litigare se simulans blandiatur atque ad extremum det manus vincique se patiatur, ut is qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid autem turpius quam illudi? Quod ut ne accidat, cavendum est, ut in Epiclero:

Hodie me ante omnis comicos stultos senes
versaris atque emunxeris lautissime.

100. Haec enim etiam in fabulis stultissima per-

XXVI. §. 98. faceta nobis] [*nobis*] *faceta*. §. 99. quamquam — valet] *quamvis* — *valeat*. animadvertant] *animum advertant*. ut ne accidat] *ne accidat*.

sona est improvidorum et credulorum senum. Sed nescio quo pacto ab amicitiis perfectorum hominum, id est sapientium — de hac dico sapientia, quae videtur in hominem cadere posse —, ad levis amicitias deflexit oratio. Quam ob rem ad illa prima redeamus eaque ipsa concludamus aliquando.

XXVII. Virtus, virtus, inquam, C. Fanni, et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias et conservat. in ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia: quae cum se extulit et ostendit suum lumen et idem aspexit agnovitque in alio, ad id se admovet vicissimque accipit illud, quod in altero est; ex quo exardescit sive amor sive amicitia. utrumque enim ductum est ab amando; amare autem nihil est aliud nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita: quae tamen ipsa ecflorescit ex amicitia, etiam si tu eam minus secutus sis. 101. Hac nos adolescentes benevolentia senes illos L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum, P. Nasicam, Ti. Gracchum, Scipionis nostri socium deleximus: haec etiam magis elucet inter aequalis, ut inter me et Scipionem, L. Furium, P. Rupilium, Sp. Mummium: vicissim autem senes in adolescentium caritate acquiescimus, ut in vestra, ut in Q. Tuberonis; equidem etiam admodum adolescentis P. Rutili, A. Vergini familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata est vitae naturaeque nostrae, ut alia aetas oriatur; maxime quidem optandum est, ut cum aequalibus possis, quibuscum tamquam e carceribus emissus sis, cum eis-

---

XXVII. §. 100. suum lumen] *lumen suum.* ductum est] *dictum est.* nihil est aliud] *nihil aliud est.* §. 101. Vergini] *Virginii.*

dem ad calcem ut dicitur pervenire. 102. Sed quoniam res humanae fragiles caducaeque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus et a quibus diligamur: caritate enim benevolentiaque sublata omnis est e vita sublata iucunditas. Mihi quidem Scipio quamquam est subito ereptus, vivit tamen semperque vivet: virtutem enim amavi illius viri, quae exstincta non est. nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara et insignis. Nemo umquam animo aut spe maiora suscipiet, qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet. 103. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna aut natura tribuit, nihil habeo quod cum amicitia Scipionis possim comparare. In hac mihi de re publica consensus, in hac rerum privatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis fuit. Numquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim; nihil enim audivi ex eo ipse, quod nollem; una domus erat, idem victus isque communis: neque militia solum, sed etiam peregrinationes rusticationesque communes. 104. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid atque discendi? in quibus remoti ab oculis populi omne otiosum tempus contrivimus. Quarum rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset, desiderium coniunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem. Sed nec illa exstincta sunt aluntur que potius et augentur cogitatione et memoria mea: et si illis plane or-

---

XXVII. §. 102. ut alia aetas oriatur] *ut alia aetas oriatur ex alia.* §. 103. nihil enim audivi] *nihil audivi.* domus erat] *domus* [*erat*]. neque militia solum] *neque solum militia.* alunturque] *aluntur.* §. 104. memoria mea] *memoria.*

batus essem, magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium; diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum. Omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiam si magna sunt.

Haec habui de amicitia quae dicerem. Vos autem hortor ut ita virtutem locetis, sine qua amicitia esse non potest, ut ea excepta nihil amicitia praestabilius esse putetis.

XXVII. §. 104. praestabilius esse putetis] *praestabilius putetis.*

COLLATIO TRIUM LIBRORUM
MSS. CUM EXEMPLO ORELLIANO.

I. Vindobonensis primus*). II. Vindobonensis secundus**). III. Haenelianus***) Horum librorum Vind. I. et Haen. habendi sunt in numero codicum volgarium, Vind. autem II. non solum his libris, sed aliis multis anteferendus est, ita ut libri Erfurtensis, quocum locis plurimis consentit, praestantiam si non superare, at aemulari certe videatur.

Exemplum Orellium.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. I. §. 1. augur	*augur Scaevola* Vind. I. Haen.
multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et iucunde solebat nec	*memoriter et iocunde solebat multa narrare de Celio Laelio socero suo nec.* Vind. I.
dubitare	*dubitabat.* Vind. II.

*) De hoc libro Andr. Dan. Michnay Pannonius haec annotavit: „*I. Ind. MS. n. CCX. formis quaternis, manu eleganti scriptus. Complectitur: Tusc. qu. libr. V. Parad. Stoic. VI. Somn. Scip. Catonem, Laelium, orat. p. Marcello. Videtur esse e duobus conflatus; nam a Somn. Scip. folia sunt breviora et in fine Parad. alius scriba nomen suum* [*quod tamen situ fere evanuit*] *subscripsit. Erat olim Sambuci. Laelius ad fol.* 125 — 148. *Literarum ductus quos currentes vocant.*"

**) Hunc idem ita descripsit: *II. n. XXXII. forma maxima, nitidissime scriptus literis currentibus. Insunt: Offic. libr. III. Epitaphia XII. a Scholasticis Ciceroni posita, Cato, Laelius a fol.* 62 — 76. *Catil. oratt. IV. Cic. Synonyma, liber de proverbiis Senecae, de remediis fortuitorum; de moribus, de clementia, de paupertate, de 4 virtutibus. Hunc quoque olim Sambucus possidebat. Scriptus videtur Saec. XV. Ceterum a temporis iniuria prorsus est immunis.*"

***) Est hic liber idem ille, quem in edendo Catone usurpavi. vid. praef. eiusdem libri p. VI.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. I. §. 1. a patre ita eram	*ita eram, a patre.* Vind. I.
memoriae mandabam	*memoriae meae commendabam.* Vind. I.
§. 2. multa, tum	*multa dissereret.* Vind. I. *multa narravit, tum* Vind. II. *multa narraret, tum.* Haen.
domi in hemicyclio	*in hemicyclio domi.* Vind. II.
hemicyclio	*hemicyclo* Vind. I. *hemiciclo.* Haen.
quum et ego	*cum ego.* Vind. II.
in eum sermonem illum incidere	*incidere in illum sermonem cum.* Vind. I.
fere [omnibus] erat	*fere multis erat* Vind. I. Haen. *fere erat omnibus.* Vind. II.
enim profecto	*profecto.* Vind. II.
Attice	*ut opinor, Attice.* Vind. I.
P. Sulpicio utebare	*utebare P. Sulpitio.* Vind. I.
quum is	*cum hiis.* Haen.
dissideret	*discederet.* Vind. I.
quocum	*quicum.* Vind. I. *qui* in margine ab eadem manu adiecto *cum.* Haen.
esset hominum	*hominum esset.* Vind. I.
§. 3. ipsos induxi	*eos induxi.* Vind. II.
atque ut tamquam	*atque ideo fecerim tamquam.* Vind. II.
§. 4. saepe	*o Attice.* Vind. II.
ageres	*ageres, Attice.* Vind. I.
scriberem aliquid	*scriberem tibi aliquid.* Vind. II.
quum omnium	*tum hominum.* Vind. I. *hominum.* Haen.
feci non invitus.	*non invitus feci.* Vind. I.
ut prodessem multis rogatu tuo	*ut multis prodesset de rogatu tuo.* Vind. II.
Maiore	*Maiore feci.* Vind. I. Vind. II. Haen.
de senectute	*de senectute id est.* Vind. II.
accepissemus	*accepissemus*, sed in margine scriptum est ab eadem manu *accepissem.* Haen.
maxime	*quam maxime.* Vind. I.
memorabilem	*me memorabilem.* Haen.
Laelii persona	*persona Laelii.* Vind. I.
dissereret	*desereret.* Haen.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. I. §. 4. Scaevola	*scevola magister meus.* Haen.
plus	*plus autem.* Haen.
videtur habere	*videatur habere.* Vind. I.
§. 5. ut tum	*verum.* Haen.
de senectute	*de senectute loquitur.* Haen.
sic hoc libro	*sic in hoc libro.* Vind. II. Haen.
de amicitia scripsi	*de amicitia scripsit.* Vind. I. Haen. *scripsi de amicitia.* Vind. II.
Tum est	*tum et.* Haen.
locutus	*locutus est.* Haen.
senior	*sanctior.* Vind. I.
est habitus	*habitus est.* Vind. II.
amicitiae gloria	*amicitie et gloria.* Haen.
Tu velim	*tum velim.* Haen.
animum a me	*a me animum.* Vind. II.
loqui ipsum	*ipsum loqui.* Vind. I.
C. Fannius	*Celius Fannius.* Vind. I.
ab his	*ab hiis.* Haen.
respondet	*Respondit.* Haen.
disputatio est	*est disputatio.* Haen.
tu te ipse	*tu ipse.* Vind. I. *te ipse.* Vind. II. *tu ipse attice.* Haen.
C. II. §. 6. Fannius	*Fannius ait.* Haen.
Sunt ista, Laeli!	*Sunt ista* (in cuius apice *vera* scriptum est) *Laeli.* Vind. I. *Sunt ista vera ut dicisLaeli.* Vind. II. *Sunt ista Laeli ut dicis vera.* Haen. sed *ut dicis* in rasura.
existimare	*extimare.* Haen.
omnium oculos nunc in te esse coniectos	*omnium oculos in te esse positos.* Vind. I. *oculos omnium in te esse coniectos.* Vind. II. *hominum oculos in te esse coni.* Haen.
te sapientem	*te esse sapientem.* Vind. I.
L. Atilium	*L. Accilium* (sic semper) Vind. I. *Laelium Atilium.* Vind. II. *lucium accillium* (sed *l* prior erasa est). Haen.
esse in i. c. putebatur	*in i. c. putabatur esse.* Haen.
haberet	*habebat.* Vind. I. Vind. II. Haen.
prudenter	*providenter.* Vind. I.
alio quodam modo	*alio quodam modo dicunt.* Vind. I.
et moribus	*sed moribus.* Haen.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. II. §. 6. sed ut eruditi.	*sed eruditi.* Vind. I.
in Graecia	*in reliqua Graecia.* Vind. I. Vind. II. Haen.
§. 7. appellantur	*appellabantur.* Haen.
sapientium	*sapientum.* Vind. I. Vind. II. Haen.
quidem	*quidam.* Vind. II.
sapientissimum iudicatum	*sapientissimum indicatum.* Vind. I. *iudicatum sapientissimum.* Vind. II.
esse in te	*in te esse.* Vind. II.
omnia tua	*tua omnia.* Vind. I.
posita ducas	*posita esse ducas.* Vind. I. Vind. II. Haen.
credo	*et credo &.* Vind. I.
item ex hoc [Scaevola]	*ex hoc item Scaevola.* Vind. I. Vind. II. Haen. Sed. Scaevola in Vind. I. simplici litera S. scriptum est quasi nomen disputantis indicaretur; ubi *Scaevola* in contexta oratione legitur, omnibus literis scriptum est.
magis quod	*quod magis.* Vind. I.
his proximis Nonis	*proximis hiis Nonis.* Vind. I. *in proximis novis.* Vind. II. *proximis in hiis Nonis.* Haen.
hortos	*hortis.* Vind. I. *orto.* Haen.
commentandi caussa	*commentandi* om. *causa.* Vind. I.
et illud	*illud.* Haen.
solitus esses	*solitus es.* Vind. I.
§. 8. Laeli	*Lelii.* Haen.
sed ego	*sed semper ego.* Vind. I.
quod animadverti	*id quod animadverti.* Haen.
te dolorem	*dolorem.* Vind. II.
quum summi	*tum summi.* Vind. I. Haen.
nec potuisse	*non potuisse.* Vind. I.
humanitatis tuae	*tue humanitatis.* Haen.
his Nonis	*his novis.* Vind. II. *his nonis.* H.
nostro collegio	*collegio nostro.* Vind. I. Vind. II. Haen.
valetudinem caussam	*invaletudinem respondeo causam.* Vind. I. *valetudinem respondeo causam* Vind. II. *in valitudinem respondeo causam.* Haen.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. II. §. 8. Scaevola	*respondisti, Scaevola.* Vind. I. *Scevola respondisti.* Haen.
nec enim	*neque enim.* Haen.
homini	*animo*, sed in margine scriptum: *al' hoi.* Haen.
§. 9. qui mihi	*quod mihi.* Vind. II. Haen.
ego nec, agnosco	*nec agnosco.* Vind. I. *ego nec cognosco.* Vind. II. *nec ego agnosco.* Haen.
aut si	*aut.* Haen.
quisquam	*quisquam est.* Haen.
Gallum	*Gaium.* Vind. I. Vind. II. Haen.
sed hi in pueris; Cato in perfecto et spectato viro	*Sed cave hos praeponas Catoni maximo et exspectato viro.* Vind. I. *sed nec comparantur Catoni perfecto et spectato viro.* Vind. II. *Sed his quidem non comperantur Catoni maximo et spectato viro.* Haen.
C. II. §. 10. Catoni anteponas ne	*ne Catoni anteponas.* Vind. II.
ut ais	*ut aiunt.* Haen.
iam cum utroque	*cum utroque iam.* Vind. II.
C. III. si Scipionis desiderio	*Scipionis desiderio si.* Vind. I.
viderint sapientes	*sapientes viderint.* Vind. I.
ut	*utque.* Haen.
me ipse	*me ipsum.* Haen.
quod eo	*quod ego eo.* Vind. I.
decessu	*discessu.* Vind. I.
Nihil enim mali	*Nihil mali.* Vind. II. Haen.
accidisse Scipioni	*Scipioni accidisse.* Vind. I.
§. 11. quis neget	*quis* om. *neget*, quod tamen in margine ascriptum est a recentiore manu. Haen.
esse actum	*actum esse.* Vind. I.
quod ille minime putabat	*quod minime putabat ille.* Vind. II. *ille quod min. putabat.* Haen.
est adeptus	*adeptus est.* Vind. II. Haen.
petiit nunquam	*petivit nunquam.* Vind. I. Vind. II. *nunquam petivit.* Haen.
sibi suo	*sibi iam suo.* Haen.
eversis	*subversis.* Haen.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. III. §. 11. bonitate.	*benignitate.* Vind. I.
Nota	*quia nota.* Vind. I.
vobis	*nobis.* Haen.
civitati carus fuerit	*in civitate carus fuit.* Vind. I. *civitati carus fuit.* Vind. II. *carus fuerit civitati.* Haen.
indicatum	*iudicatum.* Vind. II. Haen.
hunc	*haec.* Vind. I.
paucorum	om. Haen.
anno	*uno.* Vind. I.
mortuus est	*mortuus esset.* Vind. I. *esset mortuus.* Vind. II. Haen.
eam	*illam* Haen.
etiam num	*etiam nunc.* Vind. I. Vind. II. Haen.
§. 12. moriendi autem	*moriendi quidem.* Vind. II.
dictu est	*est dictu.* Vind. II.
quid	*quid autem.* Haen.
videtis	*vos videtis.* Vind. I. Haen.
tamen vere	*vere tamen.* Vind. I. Vind. II. Haen.
in vita	*in vita sua.* Vind. II.
illum diem	*illum* om. *diem.* Haen.
quum	*quo.* Haen.
populo Romano, sociis et Latinis	*a populo R. et a sociis Latinis.* Vind. I.
populo Romano	*r. populo.* Haen.
excessit	*excessisset.* Vind. I. Haen.
ut ex tam	*ut tam.* Vind. I.
C. IV. §. 13. Neque enim	*Neque* om. *enim.* Haen.
iis	*his.* Vind. I.
qui haec nuper	*qui nuper.* Vind. I. *qui nuper hec.* Haen.
animos	*animas.* Haen.
atque omnia	*et omnia.* Haen.
antiquor. auct. valet	*valet antiquor. auct.* Haen.
quod non fecissent profecto	*qui non fecissent prof.* Vind. I. *quod profecto non fec.* Vind. II.
vel eorum	*vel eorum auctoritas.* Vind. I.
deleta	*delata.* Vind. I.
tunc florebat	*sed tunc florebat.* Vind. I. *tum florebat.* Vind. II. *que tunc florebat.* Haen.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen
C. IV. §. 13. et praeceptis	*preceptisque.* Haen.
est iudicatus	*iudicatur.* Haen.
tum hoc tum illud	*tum hoc et tum illud.* Haen.
idem semper	*idem dicebat semper.* Vind. I. Haen. *semper idem.* Vind. II.
hominum	om. Vind. II.
iisque	*hisque.* Vind. I. Haen.
e corpore	*ex corpore.* Vind. II. Haen.
reditum in caelum	*redditum in celos.* Haen.
optimoque	*optimo viro.* Vind. I. Haen.
expeditissimum	*expeditissimum iter.* Haen.
§. 14. quod item	*quod idem.* Vind. I. Vind. II. Haen.
qui quidem	*qui* om. *quidem.* Vind. I. *quique idem.* Haen.
et Philus	*phylus.* Haen.
Manilius	*Manlius.* Vind. II. Haen.
extremum fere	*fere extremum.* Vind. II.
se	*se,* sed in margine scriptum ab eadem manu est: *al. a se.* Haen.
per visum	*viso.* Vind. I.
dicebat	*disserebat.* Vind. I.
Id	*id vero.* Haen.
optimus cui. animus	*animus optimi cuiusque.* Haen.
cuiusque	*cuiusque viri.* Vind. I.
evolet	*volet.* Vind. II.
vinclisque	*vinculisque.* Vind. I. Vind. II.
maerere hoc eius eventu	*moerere hoc exitu.* Vind. II. *hoc merere eius eventu.* Haen.
invidi magis quam amici sit	*magis sit invidi quam amici.* Vind. I. Haen.
veriora	*vereor.* Vind. I. Haen.
sit animorum	*animorum sit.* Vind. I.
natus non esset	*non esset natus.* Haen.
§. 15. Quam ob rem	*quam,* sed in margine a rec. m. ascriptum est *ob rem.* Haen.
actum optime est	*optime est actum.* Vind. I.
mecum	*mecum vero.* Haen.
introieram	*introieram in vitam.* Vind. I.
de re publica	*de publica re.* Vind. II.
et militia	*fuit et militia fuit.* Vind. I. *fuit et militia.* Vind. II. *fuit militia.* Haen.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. IV. §. 15. summa	*magna*. Haen.
me sapientiae	*meae sapientiae*. Vind. I.
quam modo	*quam mihi*. Vind. II.
spero sempiternam fore	*sempiternam spero fore*. Vind. II.
mihi eo magis est cordi	*eo magis est mihi cordi*. Vind. I. *eo magis mihi cordi est*. Vind. II.
paria amicorum	*amicorum paria*. Vind. II.
videor	*videar*. Vind. I.
notam posteritati fore	*posteritati notam fore*. Vind. II.
§. 16. soles de ceteris rebus quum	*de ceteris rebus soles quae*. Vind. II. *soles de ceteris rebus que*. Haen.
sic	om. Vind. I.
disputaris	*disputaveris*. Haen.
qualem existimes	*qualem aestimes*. Vind. I. *quid existimas*. Vind. II.
Mihi vero [pergratum erit]	*mihi vero erit gratum*. Vind. I. *mihi pergratum vero erit*. Vind. II. *mihi vero id erit pergratum*. Haen.
antevertit	*antevortit*. Vind. I. Haen.
gratum admodum	*gratu gratum admodum*. Vind. I.
C. V. §. 17. mihi ipse confiderem	*ipse confiderem mihi*. Vind. I. *mihi ipsi confiderem*. Vind. II.
res est	*res visa est*. Haen.
dixit Fannius	*dicit Fannius*. Vind. I. *Fannius dicit*. Haen.
quis ego sum?	*quis sum ego*. Vind. I. *si quis ego sum*. Haen.
in me est facultas	*est in me facultas*. Vind. I. Vind. II. *in me facilitas*. Haen.
est ista	*ista est*. Vind. II.
consuetudo	*consuetudo hominum*, sed *hominum* erasum est. Haen.
iis ponatur	*ut his ponatur*. Vind. I. Vind. II. *hiis anteponatur*. Haen.
omnibus reb. hum. anteponatis	*anteponatis omnibus hum. rebus*. Vind. I. *omnibus humanis reb. antep*. Haen.
est enim	*enim est*. Haen.
res vel secundas	*res secundas*. Haen.
§. 18. neque id ad vivum reseco	*neque id vivum reseco*. Vind I. *neque id unum resero*. Vind. II.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. V. §. 18. virum bonum esse	*virum bonum*. Vind. I. *esse virum bonum*. Vind. II. Haen.
eam sapientiam	*etiam sapientiam* Vind. I.
mortalis nemo est consecutus	*nemo consecutus mortalis est*. Haen.
ego dicam	*dicam ego*. Vind. I.
Ti. Coruncanium	*T. Corruncarium*. Vind. I. *T. corruncanum*. Haen.
nostri maiores	*maiores nostri*. Haen.
hi boni viri	*hii viri boni*. Vind. I. Haen. *hi viri boni*. Vind. II.
§. 19. pingui Minerva, ut aiunt.	*pingui, ut aiunt, Minerva*. Vind. II.
ita vivunt	*et ita vivunt*. Vind. I. Haen.
integritas	*et integritas*. Haen.
aequitas	*aequalitas*. Vind. I. Vind. II. Haen.
cupiditas vel libido vel audacia	*cupiditas vel libido audacia*. Vind. I. Haen. sed in Haen. alterum *vel* ab eadem manu adiectum in margine est. *cupiditas libido audacia*. Vind. II.
sintque	*sitque*. Vind. I. Vind. II. Haen.
ii fuerunt	*hi fuerunt*. Vind. I.
modo quos	*quos modo*. Vind. I. Haen.
putemus	*esse putemus*. Haen.
quia sequantur	*qui assequantur*. Vind. I. Haen.
accederet	*accideret*. Vind. I. *adhaereret vel accederet*. Haen.
propinqui	*et propinqui*. Haen.
cum his enim	*cum his propinquis enim*. Vind. I. *cum hiis et*. Haen.
namque hoc	*namque in hoc*. Vind. I.
benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest.	*benevolentia tolli possit* ceteris omissis. Vind. I.
ex amicitia	*amicitia*. Vind. II. *ex amicitia autem*. Haen.
propinquitatis	*nomen autem propinquitatis*. Haen.
§. 20. maxime potest	*potest maxime*. Vind. II.
conciliavit	*conciliat*. Haen.
adducta	*abducta*. Vind. II.
duo	*duos*. Vind. I. Vind. II. Haen.
iungeretur	*iungerentur*. Haen.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. VI. Est autem	*Est enim.* Vind. I. Vind. II. Haen.
et caritate summa	*summa et caritate.* Vind. I. *et caritate* om. *summa.* Haen.
quidquam melius	*nihil melius.* Vind. I. *nihil* om. *melius.* Haen.
a diis	*ab diis.* Vind. II.
divitias alii praeponunt	*tamen alii - praeponunt divitias.* Haen.
beluarum	*beluarum est.* Vind. II.
extremum [est]	*extremum* om. *est.* Vind. I. Vind. II. Haen.
superiora	*superiora sunt.* Vind. I.
haec	*hoc.* Haen.
et gignit	*gignit.* Vind. I.
esse ullo pacto potest	*ullo pacto esse potest.* Vind. I. *ullo pacto potest esse.* Haen.
§. 21. vitae	*nostre vite.* Haen.
Paullos, Catones	*Paulos Cathones.* Vind. II. *scilicet paulos, catones.* Haen.
Gallos	*Gaios.* Vind. I. Haen. om. Vind. II.
Philos	*Philippos.* Haen.
his	*hiis.* Haen.
contenta est	*contentast.* Haen.
§. 22. qui potest	*quis potest.* Haen.
Ennius, quae	*Ennius, qui.* Vind. I. Vind. II. Haen.
mutua	*mutui.* Vind. I.
conquiescat	*conquiescit.* Vind. II.
quicum	*quocum.* Vind. I. *amicum cum quo.* Haen.
audeas	*audes.* Haen.
prosperis rebus	*prosperis* om. *rebus.* Haen.
colare	*celare.* Haen.
rebus fere	*fere rebus.* Vind. II.
laudere	*laudare.* Vind. I. Vind. II. Haen.
Amicitia	*Amicitia vero.* Vind. II.
res plurimas	*plurimas res.* Haen.
quoquo	*quocunque.* Vind. I.
praesto est	*praesto esto.* Vind. I.
nullo loco — molesta est	haec in margine ascripta habet Haen.
igni	*igne.* Vind. II. Haen.

Exemplum Orellianum.	Libri Vind. I. Vind. II. Haen.
C. VI. §. 22. pluribus locis	*locis pluribus magis.* Vind. I. *locis pluribus.* Vind. II. *locis plurimis.* Haen.
aut de mediocri	*aut mediocri.* Vind. I.
et delectat	*delectat.* Haen.
sed de vera	*sed de re vera.* Vind. II.
partiens	*patiens.* Vind. I.
C. VII. §. 23. nimirum	*nimium.* Haen.
bonam spem	*bona spe.* Vind. II.
Verum enim	*Verum etiam et.* Vind. II. *verum etiam.* Haen.
imbecilli	*imbecilles.* Vind. I. Vind. II.
prosequitur amicorum	*amicorum prosequitur.* Vind. II.
tantus	*tantum.* Haen.
mors videtur	*videtur mors.* Vind. II.
ex rerum natura	*ex natura rerum.* Vind. I. Haen.
coniunctionem	*iunctionem.* Haen.
ne agri quidem	*nec agri quidem.* Vind. I. Vind. II. Haen.
minus	*minus quam.* Haen.
atque discordiis	*atque ex discordiis.* Vind. I.
enim domus	*domus enim.* Vind. I.
atque dissidiis	*atque discordiis.* Vind. I. *et discidiis.* Vind. II. *et dissidiis.* Haen.
Ibidem. *quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere*. hoc loco etsi omnes libri in eis verbis, quae ascripsi, consentiunt, non tamen dubitavit Beierus hoc annotare: *Quamquam unus cum Superlativo eleganter iungitur, tamen utrumque nullo substantivo addito iunctum cum Genitivo me magis offendit, quam laus illa prorsus singularis. Itaque suspicor legendum quem virum nostrae civitatis praestantissimum. Ceterum nescio an debeantur docto librario. Cf. simile elogium in Cat. mai.* 17, 9: haec viri eruditissimi sententia, quo maior eius a multis putabatur esse auctoritas, eo gravius videtur esse frangenda et infirmanda. namque ut taceam nullam fuisse caussam, cur verba *audeo dicere* in interpolationis suspicionem vocata sint, quae profecto non sine quadam gravitate adiecta sunt, ut pene idem esset atque hoc: *non dubito* (cf. *de senect.* c. 4. §. 11. *augurque cum esset ausus est dicere. pro A. Caecina* c. 7. §. 18. *iam principio ausus est dicere non posse etc. ibid.* c. 25. §. 73. *iste vester testis qui ausus est dicere etc.* quos locos etiam propter verborum collocationem, quam in libro *de senectute* meliorem reddidi ex libris bonis, congessimus. cf. denique lib. *Tusculan.* I. c. 26. §. 65. *ergo animus ut ego dico divinus, ut Euripides audet dicere, deus est.*), illud igitur ut taceam, ne

in hac quidem dicendi formula: *quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere*, quisquam debebit offendere. etenim quod Beierus negavit posse unus cum superlativo iungi nullo adiecto substantivo, id nullo modo potest probari, vid. Cic. orat. *pro P. Sestio* c. 67. §. 141. *si Themistoclem illum conservatorem patriae non deterruit a re publica defendenda nec Miltiadi calamitas, qui illam civitatem paullo ante servarat, neque Aristidi fuga, qui unus omnium iustissimus fuisse traditur*, sic enim hunc locum ex libro palimpsesto scribendum esse docui *Emendatt. Tulliann.* p. 34 sq. quo loco si potuit Cicero dicere: *qui unus omnium iustissimus fuisse traditur*, potuit etiam eo, de quo digressi sumus, loco scribere: *quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere*; neque magis debebit quenquam genitivus iste offendere quam si in oratione *pro P. Sestio* c. 67. §. 140. scriptum est: *unus in hac civitate, quem quidem ego possim dicere, praeclare vir de re publica meritus L. Opimius indignissime concidit*, ubi Tullio placuit scribere: *unus in hac civitate — praeclare vir de re publica meritus*. ac si quis in eo offendat, quod *unus nostrae civitatis praestantissimus* pro eo quod exspectaveris: *unus nostrorum civium praestantissimus*, dictum est, ne hoc quidem quidquam reprehensionis videtur habere, si quidem cum dixerit Cicero lib. *de legg.* I. c. 10. §. 31. *nec est quisquam gentis ullius qui ad virtutem pervenire non possit*, iure potuit etiam illud dicere: *unus nostrae civitatis*. De Graecis conf. Aphthon. *Progymnasmatorum* c. IV. p. 70. v. 10. ed. Walz. σκόπει τὸν Ἶρον, ὃς Ἰθάκης μὲν εἷς ἐγένετο, τὴν αὐτὴν δὲ τοῖς ἄλλοις πολίταις οὐ μετελάμβανεν ἄδειαν, ἀλλὰ τοσοῦτον αὐτῷ προσῆν, ὡς μεταθεῖναι τῇ πενίᾳ τὴν κλῆσιν. ceterum omnis ista, de qua diximus, formula dicendi inde ab Homeri illo notissimo versu *Iliad.* μ. 243.

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης,

in ore Graecorum vigebat. relinquitur ut commemorem locum quendam Ciceronis, ubi cum eadem dicendi ratio parum esset intellecta ab omnibus fere criticis, falsae scripturae adiutrix facta est: quam ego opinionem erroris iam detrahere doctis hominibus atque eripere studebo. legitur is locus lib. *Tusculan.* II. c. 2. §. 3. *ad quam* (*gloriam*) *fertur optimus quisque; veramque illam honestatem expetens, quam una natura maxime inquirit, in summa inanitate versatur consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae.*, ubi homines doctissimi dupliciter falsi sunt, primum quod aut levi aut plane nullo librorum testimonio freti pro

ac quod est in libris optimis ac pene omnibus: *quam una natura maxime inquirit*, scribendum existimaverunt: *quam unam naturam maxime inquirit* contra totam eius loci sententiam. etenim non tam illud urget scriptor, illam honestatem unam esse, quam natura maxime inquirat quam illud, unam naturam esse quae maxime illam honestatem inquirat. naturae enim optimus quisque, qui cum gloriam sequeretur, a vera honestatis via aberraverit, opponitur. quod cum ita sit, dubitari nullo modo potest quin sit scribendum: *quam una natura maxime inquirit*. deinde vix operae pretium est explicare ab hoc loco alienum illud esse, quod edidit Lambinus, probaverunt Fabricius et Nissenius, nuper etiam Orellius commendavit, ut scriberetur *non ullam* pro *nullam*. postremo satis mirari non queo, quod Bentleius, Wolfius, Orellius vocem *virtutis* eiici voluerunt in verbis his: *consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae*. cuius opinionis Orellius hanc attulit caussam: *non enim*, inquit, *sufficiat* (Tullianus sermo requirit *satisfaciat*) *effigies virtutis sapienti virtutem ipsam expetenti*. at hic non meminerant homines doctissimi acutissimique primum ab ea similitudine, qua usus erat Tullius, requiri ut diceretur non virtus ipsa, sed effigies virtutis, deinde orationis aequabilitatem, quam non solum orator Cicero, verum etiam philosophus non temere neglexit, non tulisse ut virtutis nomen in priore membro abiiceretur, cum sequeretur imago gloriae. denique omnis Orelli criminatio continuo corruet atque evanescet, si consideramus virtutem atque gloriam tamquam personas commemorari, earumque imagines inter se opponi, eodem modo quo etiam nos dicamus: *und er erreicht keinen deutlichen Abdruck der Tugend, sondern einen oberflächlichen Schattenriss des Ruhmes*. sic aperte virtus tamquam persona cogitatur, cuius eminentem effigiem cum necesse sit consequi, multi adumbratam imaginem gloriae pro ea consectentur. Sed labor longius, ad propositum revertar. nam etiam ea quae sequuntur verba: *sed de hoc alias: nunc redeo ad augurem*, voluit idem Beierus ex auctoritate libri Vimariensis, quae nulla est, mutari in hunc modum: *sed de hoc alias: ad augurem redeo*. quae opinio eo est acerbius exagitanda, quod etiam Orellius non multum afuit quin hanc scripturam probaret, quae et a veterum librorum uno consensu reiicitur neque ab huius loci ratione, quae non fert tantam oppositionis vim, commendatur. illa autem verborum collocatione Cicero etiam alias usus saepe est, cf. lib. *Tusculan*. III. c. 30. §. 73. *sed de hoc alias; nunc illud satis est non attribuere etc.*

Cap. I. §. 2. *in eum sermonem illum incidere, qui tum fere multis erat in ore.* sic hunc locum constituendum existimavi, non solum optimorum librorum auctoritate, verum etiam, ut opinor, Latini sermonis simplicitate et consuetudine flagitante. nam cum volgo legeretur: *qui tum fere omnibus erat in ore*, libri autem multi iique non mali exhiberent: *qui tum fere multis erat in ore*, ut Bernensis, Basileensis, Erfurtensis, Vindob. I., Haen., Oxonienses duo, Goth. uterque, Dresd. I., Vimar., alii, non videbatur haec scriptura *multis* potuisse ex glossemate oriri, cum contra *omnibus* facile ab eis, qui id cum *fere* particula necessario coniungendum arbitrarentur, pro *multis*, quod non videretur aptam efficere sententiam, posset scribi. itaque ab libris illud *multis* multo maiorem commendationem habet quam *omnibus*. sed erant qui utrumque aliunde irrepsisse in hunc locum dicerent, dativum supprimendum existimarent. sed ne his quidem assentiri id possumus: namque ut non negamus non ineptam fore hanc sententiam: *qui tum fere erat in ore*, quamquam ita accuratiorem quandam rei descriptionem desideramus, neque ullus locus eorum, qui allati sunt, huic prorsus respondet, velut Cic. lib. *de legg.* I. c. 2. §. 6. *si — ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem — venias.* lib. *Tusculan.* I. c. 49. §. 116. *Harmodius in ore et Aristogito, Lacedaemonius Leonidas, Thebanus Epaminondas vigent*, ubi *vigent* plus in se continet quam simplex *sunt*, ita ut *omnibus* vel *multis* in eo latere videatur. lib. *ep. ad Attic.* VI, 3. *tibi autem valde solet in ore esse.* lib. *de finib.* II. c. 23. §. 76. *illa — semper tibi in ore sunt.* ibid. III. c. 11. §. 37. *quem tu in ore semper habes.* ibid. lib. IV. c. 28. §. 79. *semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem. Xenocratem etc.* Terent. *Adelph.* act. I. sc. II. v. 13. *in ore est omni populo.* sed ut non possumus negare ista verba *qui tum fere erat in ore*, non ineptam habere sententiam, ita hoc loco abiiciendum *multis* non censemus. nam si quid adiecissent librarii, scripsissent potius *omnibus* quam *multis.* id enim nisi rem ex interiore consuetudinis Latinae cognitione iudicaveris, videtur plane absurdum esse: sed est tamen recte dictum, ita ut *fere* non sit cum nomine *multis* coniungendum, sed ad totam sententiam pertineat, atque hoc dicatur: *das damals in der Regel Vielen im Munde war.* conf. quae F. Handius *Tursellini* vol. II. p. 693. egregie de hac particula *fere* disputavit, ac si vir summus l. l. p. 694. scripsit: „*Cic. de Amicitia* 1, 2. *memini — in eum sermonem illum incidere, qui tum fere erat in ore. Scribae, huius di-*

ctionis ignari, *vel multis vel omnibus interposuerunt*. Est vero sensus: *der allgemein im Munde war.*", non tamen docuit qua ratione *multis* potuerit inferri ab librariis. deinde ille qui sic videtur esse, sed non est pleonasmus, *fere multis*, optime aliis locis potest defendi, quos ipse quoque attulit Handius, ut lib. *Tusculan.* III. c. 30. §. 73. *non sunt vitiosiores quam fere plerique, qui avari avaros — reprehendunt.* Terent. *Phorm.* act. I. sc. II. v. 39. *hic solebamus fere plerumque eam opperiri.* cf. eiusdem *Tursell.* vol. II. p. 699. huc accedit, quod cum sine dubio aliud sit, dicasne *qui tum fere omnibus erat in ore*, an *qui tum fere multis erat in ore*, illud quod est in libris optimis: *qui tum fere multis erat in ore*, habet sententiam ad hunc locum accommodatissimam. namque illud si dicitur: *qui tum fere omnibus erat in ore*, hoc est: *der damals gemeiniglich von Allen besprochen wurde*, neque videtur tum commode potuisse pergere Tullius: *meministi enim profecto*, *Attice*, *et eo magis quod etc.* etenim si sermo omnibus fuerat in ore, dubitari non poterat quin etiam Atticus eum accepisset. deinde si scribimus quod cum Beiero fecit Handius: *qui tum fere erat in ore*, hoc est: *von dem man damals gemeiniglich sprach*, atque etiam sic videtur iste sermo in omnem populum evasisse atque ab omnibus auditus esse, et quae sequuntur verba: *meministi enim profecto etc.* minus apta esse ad hunc locum. at si dicitur: *qui tum fere multis erat in ore*, id est: *das damals gemeiniglich von einer grossen Zahl besprochen wurde*, non tam dispersus hic sermo dicitur, etsi multis erat in ore, ita ut tum optime potuerit Cicero pergere: *meministi enim*, *Attice*, — *quanta esset hominum vel admiratio vel querela.*

Ibidem. *quanta esset hominum vel admiratio vel querela.* Recte hic Beierus, quem secutus est etiam Orellius, ex libris optimis ac plurimis scripsit *quanta esset hominum* pro eo quod volgo legebatur *quanta hominum esset.* solent enim Romani verbum substantivum statim ad pronomina relativa adiungere, nisi alia caussa intercedit quo minus id fiat: idque eo magis si coniunctivus huius verbi sequebatur, factum est, conf. ut uno exemplo defungar, *de senectute* c. 21. §. 78. *audiebam Pythagoram Pythagoreosque incolas pene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati*, *numquam dubitasse*, *quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus. demonstrabantur mihi praeterea, quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset*, *is qui esset omnium sapientissimus Apollinis oraculo iudicatus.* id factum est non solum propter rhetoricas quasdam rationes, verum

etiam quo maior omnis sententiae esset perspicuitas. hoc egregie in particula relativa *quam* intellexit R. Stuerenburgius amicus meus exemplisque probavit ad Cic. orat. quae est *pro Archia poeta*, p. 20 sq. quamquam is non significavit qua ratione ab hac quadam regula recesserint Romani, quod factum est, si in adiectivo quod erat suspensum a particula ista *quam*, maior quaedam vis esset, ita ut vir doctissimus non recte huc traxisse videatur locum quendam Ciceronis, quem ego putabam rectius, quam fere solebat fieri, a me esse constitutum. legitur is lib. *de senectute* c. 5. §. 15. *earum si placet caussarum quanta quamque iusta sit una quaeque videamus.*, ubi cum volgo scriberetur: *quanta quamque sit iusta*, ego scribendum existimavi: *quamque iusta sit*, non solum uno praestantissimorum librorum consensu, sed etiam tota istius loci ratione ac natura ductus. ad libros quod attinet certum est Erfurtensem, Basileensem, Trevirensem, Haenelianum, Dresdensem I., III., IV., Manuti libros quattuordecim aliosque in ista verborum collocatione conspirare, de aliis, quorum collationes accuratas non habemus, licet suspicari. ad hanc summam librorum auctoritatem accedit eius loci ratio. namque ut concedimus consuetudinem Latinam postulavisse, ut ubi nulla vis esset in adiectivo cum particula *quam* consocitato scribendum fuisse *quam sit iusta*, ita hoc loco negari non poterit multum situm esse in adiectivo *iusta*, quod opponatur ei quod praecessit *quanta*, itaque recte atque ordine scriptum esse: *quanta quamque iusta sit*. eadem ratio est alius Tulli loci qui legitur libri *de amicitia* c. 26. §. 98. *omnino est amans sui virtus; optime enim se ipsa novit quamque amabilis sit intelligit.* cf. *pro P. Quintio* c. 17. §. 54. *dici vix potest quam multa sint, quae respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam necessariam devenire.*, ubi contra libros plurimos nihil mutandum est in verbis *ad hanc rationem extremam necessariam devenire*, etiam nos dicamus: *als dass man diesen letzten nothwendigen Weg einschlage. pro A. Caecina* c. 3. §. 8. *videte quam iniquum sit constituta iam re iudicem, quid agi potuerit aut quid possit, non quid actum sit, quaerere.*, ubi cum ceteris libris in ea verborum collocatione etiam liber palimpsestus consentit. act. *in Verrem* sec. lib. I. c. 9. §. 26. *in eo esse haec commoda: primum M. Metellum, amicissimum: deinde Hortensium consulem non solum, sed etiam Q. Metellum; qui quam isti sit amicus, attendite.*, ubi Latina consuetudo flagitabat, ut pronomina inter se coniungerentur *qui quam isti*, itaque ab ea, quam Stuerenburgius iure usitatissimam verborum collocationem dixit, recessum est.

Cap. I. §. 4. *quum eius qui et senex diutissime fuisset et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset.* hoc loco primum Beierus sine ulla librorum auctoritate omisit pronomen *eius*, quod etsi omitti posse videtur, non tamen hoc loco sine quodam sententiae detrimento poterit abesse. ista enim quam Beierus voluit synesis si non inepta hoc loco, at saltem dura atque inconcinna est eaque eo minus in his dialogis ferri poterit, quod in iis Cicero omnia satis copiose, id quod ipse non negat, persecutus est, ita ut rectissime Orellius vol. IV. p. II. p. 272 sq. de Beieri ratione critica existimavisse videatur. deinde pro eo quod volgo legebatur: *qui et diutissime senex fuisset* ex libris Erfurtensi, Bernensi Vimariensi, Cizensi, aliis scribendum putavi *qui et senex diutissime fuisset.* nam etsi hoc loco videntur diuturnitas senectutis et viriditas ac flos inter se opponi, ita ut recte scriptum videatur: *qui et diutissime senex fuisset et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset*, tamen potuit ista comparatio etiam ita ecferri, ut cum diceret qui non solum senex fuisset diutissime, sed etiam florens in ea ipsa aetate, quod cum ante oculos haberet, videtur alteram rationem ingressus esse, quae videretur paullo inconcinnior esse, sed tamen etiam sic aptam sententiam habet, modo meminerimus, in ultimis his verbis: *et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset*, *florem* potissimum urgeri.

Cap. eiusd. §. 5. *Sed ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus scripsi de amicitia.* hoc loco de duplici collocandorum verborum ratione dicendum est: de una qua verba: *ad senem senex de senectute*, transponenda esse arbitratus non sum, de altera vero, qua pro eo quod erat in volgatis editionibus et libris: *ad amicum amicissimus de amicitia scripsi*, edendum curavi: *ad amicum amicissimus scripsi de amicitia.* ac primum quidem Beierus ex Bernensi libro et Gothano I. scripsit *senex ad senem de senectute*, quod non solum propter ceterorum librorum omnium auctoritatem, verum etiam propter ipsam huius loci rationem minus videtur esse aptum, cum sequantur haec verba: *ad amicum amicus scripsi de amicitia*, hic enim locus non videtur posse haberi in iis, ubi oppositionis causa verba solemus transponere, qua de ratione exposui *Quaestt. critt.* lib. I. p. 74 sq., sed omnis oratio hic potius debet aequabiliter procedere. conf. ut unum huius rei exemplum afferam locum Plini *epist.* lib. VIII. ep. 7. *neque ut magistro magister, neque ut discipulo* (*magistro?*) *discipulus — sic enim scribis —, sed ut discipulo magister — nam tu magister, ego contra: atque ideo tu in scholam revocas, ego adhuc Sa-*

turnalia extendo — librum misisti., qui locus si non est expressus atque effictus ex hoc Ciceronis loco, quod aliquoties videmus esse factum a Secundo, tamen multum facit ad Tulli locum defendendum. huc accedit quod eiusmodi verborum collocatione, ut verbo regenti rectum anteponeretur, fere plerumque Romani uti sunt soliti eandemque ob caussam libri *de senectute* c. 4. §. 10. ex libris praestantissimis, quibus iam accedit etiam Vindobonensis II, cuius collationem eo tempore nondum acceperam, scribendum duximus: *senem adolescens ita dilexi ut aequalem*, pro eo quod volgo legebatur: *adolescens ita dilexi senem ut aequalem*, et infra c. 19. §. 69. ex non spernenda librorum auctoritate scripsimus: *sed maximum est in amicitia parem esse inferiori superiorem*, ubi ante nos legebatur: *superiorem parem esse inferiori.* deinde edendum curavi: *sic hoc libro ad amicum amicissimus scripsi de amicitia*, pro volgata scriptura: *sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi*, non solum praestantissimorum librorum testimonio motus, ut Erfurtensis, Vindobonensis II., Basileensis, Bernensis aliorumque, sed etiam ratione totius loci habita, non tam ut variaretur verborum series, sed ut in quo maxima vis esset, id etiam collocatione verborum maxime ecferretur. cum autem hoc loco propter comparationem, quam Tullius instituerat, verba *de amicitia* urgerentur, non poteramus dubitare ea in fine huius sententiae ponere; solebant enim Romani quod ecferri volebant aut in initio sententiae aut in fine collocare. conf. L. Ramshorn. gr. Lat. §. 200. II. 6. p. 913. ed. sec. vide infra c. 19. §. 67., ubi ob eam caussam ex libris bonis edidimus: *indigna dubitatio homine!* maxima enim vis est in verbo *homine.* libri *de senectute* c. 1. §. 3. *sed de ceteris et diximus multa et saepe dicemus: hunc librum ad te de senectute misimus.*, ubi cum volgo legeretur: *hunc librum de senectute ad te misimus* verborumque collocatione misere languescerent voces *de senectute*, in quibus maxima vis est, transposuimus verba.

Ibidem. *tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Laelius et sapiens — sic enim est habitus — et amicitiae gloria excellens de amicitia loquetur.* „*Loquetur* pro *loquitur* *Vim.* et duo *Oxx.* *At cogitanda est praefatio haec, confecto demum ipso libro de amicitia, scripta esse.*" Gernh. libris a Gernhardo commemoratis cum accederent alii, ut Bernensis et Erfurtensis, Beierus recepit quidem *loquetur*, sed tamen esse hoc verbum ex glossemate ortum suspicatus est. Orellius autem volgatam scripturam retinuit. immerito,

credo. namque ut illud non nego, esse hoc prooemium absoluto ipso de amicitia dialogo, quod ipse in iis quae praecedunt verbis professus est, a Tullio conscriptum, ita hoc iure possumus contendere eum tamen ita prooemium conscripsisse, ut nos eo ad legendum hunc librum adduceret, itaque etiam si tempore ipso post scripsit, debebat tamen ipsum dialogum ita significare ac si id demum futurum esset, quod erat iam absolutum. idem factum videmus in prooemio Catonis maioris, ubi cum Cicero antea eum dialogum tamquam iam confectum commemorasset, uti c. I. §. 2. *mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit.* et §. 3. *hunc librum ad te de senectute misimus*, tamen deinde cum quid Pomponius cogniturus esset explicaret, futuro tempore usus est his verbis: *sed quid opus est plura? iam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.* quid igitur impedivit Tullium, quominus, etsi ante libri confectionem esse absolutam dixerat, nunc pergeret: *tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Laelius et sapiens — sic enim est habitus — et amicitiae gloria excellens de amicitia loquetur?* id est *loquentem eum audies.*

Ibidem. respondet Laelius, cuius tota disputatio est de amicitia, quam legens tu te ipse cognosces. hic satis mirari non queo, quod critici omnes eam scripturam receperunt, quae aut levi aut plane nulla librorum auctoritate niteretur: *quam legens tu te ipsum cognosces*, quam Gruterus testatur in libro Mauriciano fuisse scriptam, cum ceteri libri partim exhiberent *te ipse*, ut Erfurtensis, Basileensis, Vindobonensis II., Lips. II.; partim *tu ipse*, ut Oxonienses pene omnes, Vindobonensis I., alii; partim *tu te ipse*, ut Bernensis, Oxonienses aliquot, Palatinus, alii multi; partim *te ipsum*, ut Palatinus II., VII., Cizensis II., Vimar., alii. ex quo apparet istam, quae est nunc volgo recepta, scripturam non multum habere, quo se commendet, nisi forte huius loci ratio eam flagitat, in quam si diligentius inquirimus facile cognoscitur ne sententiam quidem, quae huic loco subiecta est, istam scripturam postulare. nam etsi hoc loco potuit dici: *quam legens tu te ipsum cognosces*, ita ut esset haec oppositio: *quam legens tu te ipsum cognosces, non alium*, i. e. *tu ipse eris, quem cognosces*, tamen necessarium hoc ita dici non erat. potuit enim idque ut videtur maiore iure etiam haec oppositio institui: *tu te ipse cognosces*, i. e. *tu ipse eris, qui te cognosces.* solebant enim Romani cum ex nostrae linguae indole alteram oppositionem deberent in-

stituere, hanc praeferre, qua non solum pronomen, quod casu obliquo esset, ecferrent, verum illud etiam pronomen, quod casu recto esset positum, urgerent. velut Tullius lib. *epistol. ad fam.* I. ep. I. §. 1. scripsit: *ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus, mihi ipse numquam satisfacio.*, ubi cum ob priorem illam oppositionis rationem deberet Tullius scribere, id quod erant qui e coniectura reponerent, *mihi ipsi numquam satisfacio*, placuit ei novam etiam rem urgere, quod ipse sibi non satisfaceret. sic apparet etiam hoc Laeli loco potuisse dici: *quam legens tu te ipse cognosces.* quam scripturam, quippe quae una maxime librorum auctoritate confirmaretur, cum non solum hi libri qui habent *tu te ipse* eam defendant, sed etiam ii, in quibus scriptum est *tu ipse*, non dubitavimus recipere. quod autem multi iique non mali libri scriptum habent: *te ipse*, id etsi ferri poterit, neque ad sententiam neque ad librorum auctoritatem, quae res in arte critica ambae maxime faciunt ad recte iudicandum, satis accommodatum est, cum et sententia si non postulet, at tamen facile recipiat oppositionem pronomine *tu* ascripto expressam, neque in libris, in quibus est istud pronomen *tu*, id tam temere videatur potuisse ascribi. de ista autem pronominis *ipse* constructione conf. quae Hoffmannus disputavit in Iahni *Annal. philol. et paedag.* vol. VII. fasc. I. p. 33 sqq. et quae ego scripsi ad Cic. *Caton. mai.* c. 2. §. 4. p. 82 sq.

Cap. II. §. 6. *sed existimare debes omnium oculos in te esse coniectos unum: te sapientem et appellant et existimant.* Hoc loco videntur fere omnes critici vehementer erravisse praeter Beierum, cuius tamen vocem exaudire voluit nemo, a quo etsi in verborum collocatione recedendum putavi, ab eodem tamen uno credo omnem huius loci rationem esse perspectam meumque esse duco eius rationes explicare atque defendere. ac primum quidem cum Beiero *nunc* particulam eiciendam existimavi, quae neque magna librorum auctoritate defenderetur neque ad huius loci sententiam satis esset apta. ad libros quod attinet, certum atque exploratum est Erfurtensem, Basileensem, Vindobonensis duo, Haenelianum, Oxoniensis omnis aliosque *nunc* particulam omittere, habet eam Bernensis I. et quidam libri apud Beierum, habere dicuntur omnes Aldi libri. quae cum ita sint, non credo magnam esse huic particulae a libris commendationem, quae ut saepe alias etiam hoc loco in libris deterioribus, in quibus scripta legitur, facillime potuit ascribi, cum vellent significare Africano mortuo omnium oculos fuisse in Laelium coniectos. dubitari enim non potest

quin si particulam istam recipimus, ea pertineat ad verba, quae antecedunt, haec: *Sunt ista, Laeli! nec enim melior vir fuit Africano quisquam nec clarior.* qua re satis mirum mihi videtur, si Gernhardus P. Saffridi annotationem, quam repetendam in editione sua putavit, potuit probare, qui haec ascripsit: *nunc in te esse coniectos. Recte id quidem. Nam tribuebatur id modo M. Catoni, et apud patres nostros L. Attilio, ut sapiens haberetur: nunc illis defunctis, in te omnium oculi sunt coniecti.* at qui vel semel hunc locum inspexit, videt istam particulam *nunc* non posse ad ea, quae sequuntur, trahi. ea enim tantum ob eam caussam adiiciuntur, quod dictum erat: *te sapientem et appellant et existimant.*, ubi ne Laelius existimaret volgarem istam sapientiam haberi, Fannius his verbis: *tribuebatur hoc modo M. Catoni etc.* cavit, ita ut diceret: nuper quidem sunt alii etiam sapientes habiti, sed non eodem quo tu modo. quaeritur nunc, sitne ista particula, ita ut ad ea quae praecesserant, respectet, necessaria. at id ipsum quoque praefracte debemus negare, nam si adiicitur ista particula, hoc dicitur: Africano vivo in te oculi civium minus erant coniecti. nunc eo mortuo omnium oculi in te sunt coniecti, quod non potuit hoc loco dici, nam ut optimus civis atque clarissimus vir fuit Africanus, tamen iam eo tempore, quo hic vixit, non minor erat Laeli fama ac gloria, ita ut non fuerit dicendum: *sed existimare debes omnium oculos nunc in te esse coniectos.* neque Fannius temporis videtur rationem habere, sed rerum, propter quas uterque laudaretur, hic optimus vir fuit et clarissimus, ille sapientissimus. quod cum ita sit, non videmur posse rixari cum eo, qui particulam istam abiiciendam arbitretur. deinde ut non probandam duco verborum collocationem eam, quam ascivit Beierus: *omnium in te oculos esse coniectos unum*, propter paucitatem librorum, quibus ea nititur, ita tamen vehementer probo, quod vir doctissimus *unum*, quod volgo ad verba, quae sequuntur: *te sapientem et appellant et existimant*, erat tractum, ad superiora vocandum putavit. Libenter enim Romani pariter atque Graeci, quos etiam in minimis rebus non dubitaverunt illi imitari et exprimere, coniungunt *unus* et *omnes*, ita ut interdum ista oppositio qualiscumque est magis etiam quaesita esse videatur quam exspectari possit. hoc autem loco non nimia oppositione recte dicitur: *in te unum omnium oculi sunt coniecti.* conf. quae dixi hac de re *Quaestionum Tullianarum* lib. I. p. 89 sqq. ad Cic. *Tusculan.* lib. I. c. 22. §. 50. *ut si iam possent in homine uno cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne*

in conspectum videatur animus, an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem. hac in oppositionis ratione etsi plerumque solent Romani *unum* et *omnis* ita collocare, ut vox altera alteram sine ulla intercapedine excipiat, velut Catulli carm. V. v. 2sq.

rumoresque senum severiorum
omnis unius aestimemus assis,

tamen isto loco quo magis ista vis, quae esset in verbo *unum,* exprimeretur, recte scriptum est: *sed existimare debes omnium oculos in te esse coniectos unum,* conf. Ramshorn. gr. Lat. ampl. §. 200. II. 6. p. 913. et 915. et quae supra scripsi ad c. 1. §. 5. *sic hoc libro ad amicum amicissimus scripsi de amicitia.* ceterum recte Beierus comparavit hunc Tulli locum ex act. *in Verrem* sec. lib. V. c. 14. §. 35. *sic obtinui quaesturam in provincia Sicilia, ut omnium oculos in me unum coniectos arbitrarer; ut me quaesturamque meam quasi in aliquo orbis terrarum theatro versari existimarem.* deinde recte idem Beierus fecit, quod cum *unum* ad antecedentia vocaret, suam vim tribueret pronomini *te;* ac ne quis de tota huius loci ratione dubitaret, attulit hunc Ciceronis locum, qui isti ex asse respondet, lib. *de re publica.* VI. c. 12. §. 12. (Somn. Scip. c. 2.) *in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus etc.*

C. II. §. 6. *Atilius, quia prudens esse in iure civili putabatur; Cato, quia multarum rerum usum habebat.* hoc loco auctore potissimum Garatonio ad orat. *Philipp.* II. 8. p. 210 sqq. a recentissimis huius dialogi editoribus scriptum erat *haberet* pro *habebat,* quod ego reponendum putavi. namque eorum librorum, qui accurate collati sunt, omnes indicativum exhibent, pauci dicuntur coniunctivum tueri. *habebat* igitur est in Erfurtensi libro, Basileensi, Bernensi, Oxoniensibus omnibus praeter unum, in quo est *habuit* scriptum, in omnibus meis, Gernhardi, Beieri [etiam quinque Guelpherbytanis] libris, ita ut sane nesciamus unde altera scriptura orta sit quoque nitatur libro. huc accedit quod etiam in huius loci sententia nihil caussae videtur positum esse, ut scribamus *haberet,* etenim eodem iure, quo ante dictum erat: *quia prudens esse in iure civili putabatur,* potuit etiam hic dici: *quia multarum rerum usum habebat,* qua in ratione etsi *putabatur* non ipsum Tulli iudicium declarat, tamen est ex ipsius sententia non minus dictum illud quam *habeat,* in quo tametsi ipsa scriptoris sententia significatur, tamen etiam ab aliis illum putatum esse *multarum rerum usum habuisse* satis indicatur iis verbis quae sequuntur: *multa eius et in senatu et in foro*

vel provisa prudenter vel acta constanter vel responsa acute ferebantur, ita ut quam antea quasi subiectivam, ut ita dicam, veritatem elocutus erat Tullius, nunc etiam quasi obiectivam confirmet. Quod cum ita sit, eodem modo quo nuper in loco simillimo orationis *Sestianae* c. 7. §. 16. *vel ut ego arbitror vel ut nonnemo putabat mihi iratus etc.* ex libro palimpsesto *putabat* pro *putaret*, quod est in libris et editionibus volgatis rescribendum docui *Emendatt. Tullianar.* p. 29 sq., etiam hoc loco non dubitavi *habebat* reponere pro *haberet*, quod si est in quibusdam libris neque est per antiquum typographorum mendum ortum, non videtur maiorem auctoritatem habere quam in oratione *Sestiana* soloecum illud *putaret.*

Cap. II. §. 6. 7. *qualem in reliqua Graecia neminem — nam qui septem appellantur, eos qui ista subtilius quaerunt in numero sapientium non habent —, Athenis unum accepimus et eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum iudicatum.* „Reliquam Graeciam dicit, quia mente retinet Athenas, ubi Socrates floruit; de quo statim dicturus erat.“ *Facciolatus.* Virum doctissimum unum maxime huius loci sententiam perspexisse nemo, qui diligentius hunc locum excusserit, negabit quisquam; etsi Gernhardus non dubitavit ita ei obloqui, ut non videatur, quae huic loco subiecta sit sententia, satis intellexisse, quod magis esset mirandum, nisi eius editio etiam aliorum errorum plena esset. nam quod ait remotius id esse quod sequitur *Athenis,* id primum falsum est propterea, quod quae interiecta sunt verba parenthesi continentur, quae nihil ad grammaticam huius loci constructionem facit, itaque vix paucis verbis diremptum est *reliquus* ab eo cui respondet verbo. deinde etiam verborum collocatio: *Athenis unum accepimus,* satis demonstrat, cum *Athenis* diceret, Tullium respexisse ad id, quod praecessit, *in reliqua Graecia*, sic enim etiam alias *reliquus* habet cui respondeat, conf. orat. *pro Planc.* c. 1. §. 3. *ad reliquos labores, quos in hac caussa maiores suscipio quam in ceteris, etiam hanc molestiam assumo.* et ita ut urbs a terra eodem verbo discernatur, *epistt. ad Attic.* lib. II. ep. 5. §. 1. *cupio equidem et iam pridem cupio Alexandream reliquamque Aegyptum visere.* ad libros autem quod attinet videtur in plerisque esse scriptum *in reliqua Graecia,* in paucis ab librariis, qui hanc istius vocis rationem non magis quam editores novissimi perspexerant, illud nomen *reliqua* aut plane omissum est, ut in Erfurtensi, aut mutatum in *tota* ut in Dresdensi II, Berolinensi IV. cum autem fere plerique libri scriptum habeant aut *in reliqua Graecia* aut *in Graecia reliqua*, aut etiam *reliqui in Graecia* et similia, vix possu-

mus dubitare quin haec probanda sit scriptura etiam e testimonio librorum. *in reliqua Graecia*, quem ad modum nos scripsimus, tuentur libri Bernensis, Basileensis, qui *in Graecia reliqua* scriptum habet, Vindob. I. Vindob. II. Haenel. Oxonienses, ut videtur, omnes, Guelpherbytanus II., ceteri Guelpherbytani ipsi quoque partim *in Gretia reliqua*, partim *reliqua in Gretia*. unus *in Grecia tota reliqui* scriptum habet, denique etiam Dresdenses libri receptam scripturam defendunt, ita ut *in reliqua Graecia* summa librorum consensione confirmetur, quae profecto non tanta esset, si ex glossemate haec scriptura esset orta neque ex antiquo libro in recentiores recepta. de tota autem huius loci ratione recte disputavit Beierus in hunc modum: „Auctoribus Goerenzio (*Annal. philol. et paedagog.* Vol. I. fasc. II. p. 259) et Madvigio (*Emendatt. in Cic. libros philosophicos* (sic) P. I. p. 194 sqq. illa tantum *nam — non habent* parenthesi compraehendimus, ut ista *qualem — neminem . . accepimus* constructione cohaereant. Aliud enim ista nec habent, quod repetatur, verbum, nec, si proxume praecessiset, repeti posset in hac verborum iunctura. Neque ad illa superiora *Te autem alio quodam modo . . sapientem* repetere licet *scimus appellatum esse*, interpositis Nominativis (*Attilius* et *Cato*), sed Fannius orationem sic exorsus, ut nihil amplius expectaretur praeter *existumant*, quod ipsum quidam codd. superioribus VV. adiiciunt, pluribus interpositis eam immutavit et, quum priora aliis verbis (*hanc in te sapientiam*) repetisset, terminavit omissis particulis, quae orationem in ordinem redire significarent: unde orta quaedam orationis perturbatio. Satis perspicue tamen pron. *hanc* sic initio positum sine ulla coniunctionis particula significat orationis ad superiora reditum et cum iis nexum arctissumum.“

Cap. II. §. 7. *hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita esse ducas humanosque casus virtute inferiores putes.* quod ego hoc loco *posita esse ducas* rescripsi pro eo quod est in recentiores editiones receptum *posita ducas*, id nemo reprehendet, qui intellexerit librorum auctoritatem etiam in rebus minutis non esse sine iusta caussa negligendam, praesertim si sententia illud ipsum, quod est in libris optimis, si non requirat, at saltem ferat. hic autem libri pene omnes tuentur id quod est repositum, ut Erfurtensis, Basileensis, Bernensis, Vindobonensis I., Vindobonensis II, Haenelianus, Oxonienses praeter unum omnes, Berolinenses fere omnes, Dresdenses aliique, excerpta Bedae, editiones Rogerii, Lambini, Petri Suffridi aliorumque. si vero in quibusdam libris *esse* omissum est, id potuit propter com-

pendium *ée*, quo illud verbum solebat scribi, facillime excidere. ad sententiam quod attinet etiam si illud verbum potest abesse, tamen ut in directa oratione dicas: *in me posita sunt omnia*, potius quam: *in me omnia posita*, ita etiam obliqua saepius dicas: *in me omnia posita esse duco*, quam: *in me omnia posita duco*, quamquam etiam hoc apud Tullium legitur. de verbo substantivo *esse*, quod etiam alias iniuria videtur esse omissum, conf. quae diximus *Annal. philol. et paedag.* 1832. vol. I. fasc. I. p. 123 sq.

Ibidem. *Itaque ex me quaerunt, credo ex hoc item Scaevola, quonam pacto mortem Africani feras.* ne hoc quidem loco, quod quae est in optimis et plurimis libris scriptura recte constituta non est, non possum non mirari. nam et sententia et auctoritas librorum aeque postulant quam ego reposui scripturam. Erfurtensis enim liber, Basileensis, Bernensis, Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Guelpherbytanus I. II. III. IV. (hic: *ex hoc idem Scaevola*), alii multi scriptum habent: *ex hoc item Scaevolâ.* quod cum non intelligerent librarii, alii scripserunt *item ex hoc Scaevola*, alii *ex hoc Scaevola idem*, alii aliud. sed pessima interpolatio sine dubio est *item ex te, Scaevola*, probata tamen illa Gernhardo aliisque criticis, quam scripturam cum Beierus iure suo ineptam confusionem continere dixerit, non est quod verbum adiiciam. De illa autem scriptura *credo ex hoc item Scaevola*, hoc minus dubitari potest, quod non solum in tot libris optimae notae invenitur nec facile potuit ab librariis propter aptam illam quidem sed talibus hominibus non acceptam verborum collocationem, in qua etiam nostri critici offenderunt, oriri, verum etiam quod accommodatissimam huic loco sententiam continet: nam etsi omitti illud nomen *Scaevola*, quod et plurimi et optimi libri tuentur, propter ipsam sententiam potuit, tamen cum in ipso dialogo, qui orditur a cap. 2. §. 6. *Sunt ista, Laeli! etc.*, nondum Scaevolae mentio esset facta, recte adiectum est a Tullio cum dixisset *credo ex hoc item*, ita enim semper dicitur *hic Crassus* pro eo quem nos dicimus: *der hier anwesende Crassus.* cf. *de senect.* c. 2. §. 4. *cum hoc C. Laelio.* ad collocationem autem verborum quod attinet, recte ista particula *item* interiecta est *hoc* inter et *Scaevola*, quoniam ita magis quae in tali constructione sita est oppositio exprimitur, idque hoc loco non debet mirum videri, cum id aliis locis magis etiam videatur posse offendere legentem. conf. Cic. *ep. ad famil.* lib. VI. ep. 3. §. 1. *hoc item tempore brevior esse debeo.* C. Caes. *de bello civili.* lib. III. c. 12. *recepto Caesar Orico nulla interposita mora Apolloniam proficiscitur.* et

L. Ramshorn. *gr. Lat. ampl.* §. 200. II. 6. a. p. 913 sq. ed. sec. praeterea conferantur quae hoc ego de loco disputavi in *Emendatt. Tullian.* p. 27.

Cap. II. §. 7. *cum in hortos D. Bruti auguris commentandi caussa, ut assolet venissemus.* habent quidem libri quidam *hortis* pro *hortos*, ut Vindob. I., Lipsiensis I., alii apud Beierum aliquot non optimae notae, deinde etiam *convenissemus* pro simplici verbo *venissemus* scriptum est in libro Basileensi, Dresdano I., Lipsiensi I., Oxoniensi uno. sed plurimi iique optimi libri tuentur volgatam scripturam *in hortos — venissemus*, ut Oxonienses excepto uno omnes, Guelpherbytani, Erfurtensis, Bernensis, Vindob. II., Haen., alii multi. huc accedit quod ratio reddi optime potest qui cum scriptum antiquitus esset: *in hortos D. Bruti auguris commentandi caussa ut assolet venissemus*, altera scriptura nata sit, quod contra fieri non potuit. facile enim cum *hortos* esset scriptum, ut solebat scribi, ita ut *s* cum *o* littera coniungeretur, potuit id in *hortis* mutari, quod cum esset factum, necessario tum pro *venissemus* scriptum est *convenissemus*, atque id re vera ita factum esse hinc poterit concludi, quod in aliis libris, ut in Gothano primo, pro *venissemus* scriptum est *affuissemus*. esse vero etiam alias verbum compositum substitutum simplici neminem criticum praeterit. de Graecis conf. quae scripsi ad Luciani *Gallum sive somnium* §. 10. p. 35. quod autem deinde §. 8. Orellius commendavit ex editionibus quibusdam antiquioribus: *quem acceperis cum summi viri tum amantissimi morte*, etsi *amantissimi* in libro Guelpherbytano III. inventum postea est, tamen non potest ullo modo probari, cum reliqui libri omnes uno consensu tueantur volgatam scripturam, ad quam reprobandam ille quem Orellius dixit locus c. 27. §. 104. *quarum rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset, desiderium coniunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem.*, nihil plane facit.

Ibid. §. 8. *quod autem his Nonis in collegio nostro non affuisses, valetudinem caussam, non maestitiam fuisse.* hoc loco quod scripsi *in collegio nostro* pro *in nostro collegio*, id ex libris et plurimis et optimis profectum est, velut id habent Erfurtensis, Bernensis, Basileensis, Vindobonensium uterque, Haenel., Oxonienses, Guelpherbytani, alii apud Beierum et Gernhardum. neque enim eorum possum probare levitatem, qui ex Ursini sive libro sive coniectura scribendum existimaverunt: *in collegio non affuisses*, quam scripturam recte reiecerat iam Goerenzius, a quo tamen in eo

recedendum putavi, quod *in collegio nostro* scripsi: sententia enim, quae huic loco subiecta est, non patitur maiorem vim pronomini possessivo tribui, cum hic collegium augurum iam antea esset commemoratum. Deinde omnes quantum equidem sciam libri, quorum ulla fides est, habent scriptum: *valetudinem respondeo caussam, non maestitiam fuisse,* quod haud scio an potuerit etiam defendi. nam etsi id, cum praecederent haec verba: *sed ego id respondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis cum summi viri tum amicissimi morte, ferre moderate: nec potuisse non commoveri nec fuisse id humanitatis tuae,* potuerit ex glossemate oriri, tamen etiam ex librorum testimonio apparet esse hanc aut antiquissimam interpolationem aut ab ipso Tullio profectam scripturam. etenim fere omnes libri in sede istius verbi consentiunt et ordo ipse verborum: *valetudinem respondeo caussam, non maestitiam fuisse,* non est volgaris, sed vere Tullianus. huc accedit quod etiam sententia ipsa adiuvatur atque ecfertur hac scriptura optime, quem ad modum etiam nos dicamus: *aber ich entgegne, wie ich wahrgenommen habe, dass du den Schmerz, den du bei dem Tode eines nicht weniger ausgezeichneten als dir befreundeten Mannes empfunden habest, mit Mässigung tragest; du habest eine schmerzliche Rührung nicht zurückzuweisen vermocht, noch habe dies überhaupt dein theilnehmendes Wesen gestattet; dass du aber an jenem Tage nicht in unserer Sitzung erschienen seiest, davon seien, entgegne ich, deine Gesundheitsumstände, nicht deine Betrübnis Ursache gewesen.* sic etiam alibi verba eiusmodi exciderunt immerito, qua de re copiosius explicavi ad Cic. lib. *de senect.* c. 18. §. 64., ubi docui iniuria saepe verbum *dicendi* a nostris criticis pariter atque olim ab librariis sine caussa omissum esse. loco igitur laudato verba *illi dicuntur* ex optimis libris adiicienda putavi multosque alios locos tractavi, qui maximam et illius et eius, de quo supra dixi, similitudinem haberent. Omnino autem profitendum est nimium saepe nos ea opinione duci ut aliquid aliunde irrepsisse putemus, quod vel maxime auctoris proprium debet videri. conf. quae infra dicam ad c. 16. §. 59. *quin etiam necesse erit cupere et optare, ut quam saepissime peccet amicus, quo plures det sibi tamquam ansas ad reprehendendum: rursum autem recte factis commodisque amicorum necesse erit angi, dolere, invidere.* ubi *necesse erit* secundo loco eiiciendum putaverunt critici. et Cic. *epistt. ad famil.* lib. I. ep. 9. §. 7. ed. Orell. *ego sedente Cn. Pompeio, cum ut laudaret P. Sestium, introisset in urbem dixissetque testis Vatinius me fortuna et feli-*

citate C. Caesaris commotum illi amicum esse coepisse: ***dixi*** *me eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis victoriisque anteferre:* ***dixique*** *eodem teste alio loco eosdem esse, qui Bibulum exire domo prohibuissent et qui me coegissent.* de simili repetendorum verborum ratione vid. quae explicavi ad Ciceronis orat. *Plancian.* c. 14. §. 59. *quae* ***scripsit*** *gravis et ingeniosus poeta,* ***scripsit*** *non ut illos regios pueros etc.* in *Annal. philol. et paedag.* 1832. vol. I. fasc. I. p. 115 sq. cl. orat. *pro Milone* c. 22. §. 58. *dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter et fortiter, M. Cato; dixitque* (*et dixit* Erf. et Bavar. hinc fortasse *dixit* omissa particula scribendum) *in turbulenta concione etc.*

Cap. II. §. 9. *Tu autem, Fanni, quod mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco nec postulo, facis amice: sed ut mihi videris, non recte iudicas de Catone.* hoc loco quod ego edidi *quod mihi tantum tribui dicis* pro eo quod volgo est in editionibus: *qui mihi tantum tribui dicis*, in libris et optimis et plurimis habetur, ut in Erfurtensi, Bernensi, Vindob. II., Haenel., Lipsiensibus I. et II., Oxoniensibus sex, Guelpherbytanis quattuor, Vimariensi, ita ut quod in ceteris libris est *qui* pro *quod* ex compendio male intellecto ortum esse videatur. simili errore *qui* pro *quis* scriptum esse docui in censura orationis Plancianae ab E. Wundero editae c. 24. §. 59. loco supra indicato p. 114. Sententiae caussa nemo credo requiret *qui* pro *quod*, cum hoc loco longe melius omnis res appareat, si illud per caussalem particulam exprimatur, et eorum sententiam, qui pronomen *qui* pro *quia is*, pro *quod is* dictum esse existimant, quam sit perversa, iam ostenderim ad locum orationis Plancianae laudatum.

Cap. III. §. 10. *Nihil mali accidisse Scipioni puto, mihi accidit, si quid accidit.* hoc loco cum libri Erfurtensis, Basileensis, Bernensis, Vindob. II., Haenel., Oxonienses quattuor, Gothanus uterque, alii multi omitterent particulam *enim,* quae volgo inter *nihil* et *mali* collocata erat, eam abiiciendam duxi. etenim quamvis Beierus recte dicat propter scribendi compendium .*n.* eam facillime potuisse omitti, tamen etiam illud satis cognitum habemus atque exploratum eandem particulam etiam saepe adiectam esse ex glossemate. si igitur homines docti supra omittere istam particulam non dubitaverunt, c. 2. §. 9. in verbis: *quo modo, ut alia omittam, mortem fili tulit!*, etiam hoc loco videtur a nobis iure posse deleri.

Ibidem. §. 11. *nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatem optare vellet, quid non adeptus est, quod ho-*

mini fas esset optare? etiam hoc loco videntur editores non optimos codices secuti esse, cum scripserunt: *quid non est adeptus.* libri enim Erfurtensis, Bernensis, Basileensis, Vindob. II. Haenel., Guelpherbytani quattuor, Oxonienses, ut videtur, omnes aliique scriptum habent *quid non adeptus est* videturque ita etiam sententia, quae hoc loco requiritur, optime ecferri, ita ut non tam factam rem urgeamus, quam ipsam rei adeptionem.

Ibidem. *qui consulatum petivit numquam, factus est consul bis.* in hac verborum collocatione plurimi libri consentiunt neque ullo modo potest dubitari quin iure ab Orellio recepta sit, verba enim *numquam* et *bis*, quoniam in eis maxima vis posita est, in extrema sententiae parte collocata sunt, qua de ratione supra explicavi ad c. 1. §. 5. illud miror quod Orellius praeeunte Beiero pro *petivit*, quae scriptura in omnibus libris atque editionibus volgo erat, scripsit *petiit*, quod cum esset in libro Bernensi paucisque deterioribus receptum est a Beiero, non recte, ut videtur. namque etiam si eo quem laudavit Beierus loco orationis *pro L. Murena* c. 8. §. 18. *quaesturam una petiit, et sum ego factus prior.*, videtur uno librorum consensu scriptum esse *petiit*, tamen Tullius numero orationis ductus saepius alteram formam *petivit* usurpavit, conf. *ep. ad. Quint. fratr.* lib. II. ep. 15. §. 3. *M. Curtio tribunatum ab eo petivi —, sed in alterum annum. ad Attic.* lib. II. ep. 2. §. 2. *qui me epistola petivit, ad te, ut video, comminus accessit. ad Attic.* lib. III. ep. 8. §. 2. *et ille incertus, ubi ego essem, fortasse alium cursum petivit. pro P. Quintio* c. 23. §. 75. *a me nominis eius, quod infitiatus esset, diem petivit. act. in Verr. sec.* lib. III. c. 82. §. 189. *petivit in benefici loco et gratiae, ut sibi pro frumento quanti frumentum esset dare liceret.* sic videtur etiam in hac minutissima re a librorum auctoritate sine graviore caussa desciscendum non fuisse, sed magis etiam erravit Beierus, quod nomen *consul*, cum id esset in quibusdam libris transpositum, vellet omitti, cl. orat. *pro P. Murena* c. 8. §. 18. *quaesturam una petiit, et sum ego factus prior.* namque uti de usu verbi *facere* et *fieri* sine nomine in his sententiis dubitari non potest, qua de re conferendus in primis est Graevius ad Cic. orat. *pro Cn. Plancio* c. 4. §. 9. p. 67. ed. Wunder., ita hoc tamen loco non sine quadam vi repetitum illud verbum est: *qui consulatum petivit numquam, factus est consul bis.*, quod longe secus erat in oratione illa quae est *pro P. Murena,* ubi non tam quod ille quaestor factus est, urgetur, sed quod factus est

prior. itaque cum alia esset oppositio, recte nomen quaestoris omissum est.

Cap. III. §. 11. *quam autem civitati carus fuerit maerore funeris iudicatum est.* Sic Erfurtensis, Vindob. II., Haenel., Dresdensis I., aliique libri. volgo legebatur: *indicatum est.*, quod etsi per sese non est falsum, illud tamen, quod quam saepe corruptum sit neminem fugit, reponendum duxi, nos quoque similiter loqui solemus, ita tamen ut dicamus: *das konnte man bei der Leichentrauer beurtheilen.*, quod Romanus ex sui sermonis consuetudine simpliciter dicit: *iudicatum est.* conf. quae de frequentissima horum verborum confusione et de hoc ipso loco explicavi in censura orationis *Plancianae* a Wundero editae *Annal. philol. et paedag.* 1832. vol. I. fasc. I. p. 75 sqq.

Ibidem. *ut memini Catonem anno ante quam est mortuus mecum et cum Scipione disserere. est mortuus* Erfurtensis, Berolinensis tertius, Cizensis I., Gothanus II. Guelpherbytani quattuor, quem verborum ordinem tuentur etiam ii libri, qui habent *esset mortuus*, ut Basileensis, Vindob. II., Haenel., alii. ne quis autem existimet locum a Gernhardo allatum *Cat. mai.* c. 4. §. 10. *anno enim post consul primum fuerat quam ego natus sum*, facere ad tuendam verborum collocationem: *quam mortuus est*, illud dico recte quidem isto loco defendi indicativum, sed quod adiectum pronomen *ego* est, non dixisse Tullium *quam ego sum natus*, ne duplex oppositio concurreret, sed simpliciter: *quam ego natus sum*, hoc autem loco omisso pronomine non sine iusta caussa eum videri scripsisse: *anno ante quam est mortuus.*

Ibidem. *tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam nunc erat Scipio. etiamnunc* habent libri Erfurtensis, Bernensis, Basileensis (om. *etiam*), Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Dresd. I., Lips. II., Cizens. II. III. Vimariensis, Gothanus uterque, Oxonienses septem, Guelpherbyt. II, IV. aliique. volgo legebatur *etiamnum.* alii ex libris deterioribus quibusdum *etiam tunc* scribendum existimaverunt, quod cum Orellio comprobavit F. Handius in *Tursell.* vol. II. p. 587. mihi quidem nulla videtur esse dubitatio quin hoc loco *etiam nunc* sive *etiamnunc* sit scribendum. namque ut omittam gravissimam librorum auctoritatem, etiam ratio huius loci atque natura videtur istam scripturam requirere. nam si scribimus: *senectus enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante quam est mortuus mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio,* falsam ac plane ineptam habebimus sententiam hanc: senectus

enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante quam est mortuus mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam tunc, i. e. ubi Cato mecum et cum Scipione disseruit, erat Scipio. volt autem Laelius illud tempus significari, quo Scipio est mortuus, qui cum paucis diebus ante quam hic dialogus habitus esse fingitur occiderit. cf. c. 1. §. 3. *exposuit nobis sermonem Laeli de amicitia habitum — paucis diebus post mortem Africani.* §. 5. *C. Fannius et Q. Mucius veniunt post mortem Africani.* recte atque ordine dicitur: *in qua etiam nunc erat Scipio, in der Scipio noch jetzt, noch bis auf diese Tage, stand.* sed si diutius vixisset, post hunc annum non iam fuisset in eadem ingeni atque corporis viriditate. quod cum ita sit, sane miror quod non solum Orellius, verum etiam Haudius l. l. p. 578. et p. 598. bis in re facillima erravit, ubi quae his verbis subiecta est sententia non *etiam tunc*, sed *etiam nunc* flagitat. sic dictum *etiam nunc* saepe est, ut *ep. ad Attic.* lib. XVI. ep. 3. §. 6. ed. Orell. *Haec ego conscendens e Pompeiano tribus actuariolis decemscalmis. Brutus erat in Neside etiam nunc, Neapoli Cassius. ep. ad famil.* lib. X. ep. 32. §. 5. *epistolam, quam Balbo, cum etiam nunc in provincia esset, scripsi, legendam tibi misi: etiam praetextam si voles legere, Gallum Cornelium familiarem meum poscito.*, ubi eodem modo cum particula *etiam nunc,* quae praesens tempus designat, coniunctum praeteritum est, *etiam nunc* tamen praesentis temporis notionem non abiecit. in orat. *in Catil.* I, c. 4. §. 9. recte nuper Steinmetzius, ita ut voluit Haudius l. l. p. 586., ex libris et optimis et plurimis scripsit: *confirmasti te ipsum iam esse exiturum: dixisti paullulum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem.* sed *etiam nunc* etiam ibi dictum est, ubi magis exspectes: *etiam tunc*, ut apud Nepotem *Hannib.* IV., 3. *qua valetudine cum etiamnunc premeretur lecticaque ferretur, C. Flaminium — occidit*, quos locos recte explicavit Haudius.

Cap. III. §. 12. *quo de genere mortis difficile dictu est; quid homines suspicentur, videtis. hoc vere tamen licet dicere P. Scipioni ex multis diebus etc. hoc vere tamen* scriptum est in libris Erfurtensi, Basileensi, Vindob. I., Vind. II., Haenel., Lips. II. Berol. IV., aliis apud Gernhardum, ita ut summam habeat commendationem a libris haec scriptura, quae etiam ab ipsa sententia non minus commendatur. neque enim in pronomine *hoc* summum pondus positum est, sed in adverbio *vere,* ita ut quod difficile dictu sit, opponatur ei quod vere possit dici. propterea autem quod

vere transpositum erat, non possumus illud probare, quod placuit Beiero nec displicuit Orellio, cum libro Bernensi *vere* esse omittendum. Factum enim saepe est, ut in his brevioribus verbis eo nomine ab librariis peccaretur, ac si omittenda ea verba essent, quae videmus esse transposita, nihil sane incorruptum putandum esset. Bernensis autem libri scriptor in simili re saepius omittendo peccavit, ut infra c. 24. §. 68. *sed cum tot signis eadem natura declaret, quid velit, anquirat, desideret, tamen obsurdescimus nescio quo modo nec ea, quae ab ea monemur, audimus.*, ubi ego ex libris et optimis et plurimis scribendum duxi *tamen obsurdescimus* pro volgata: *obsurdescimus tamen*, Bernensis autem liber *tamen* omittit, quod non debebat Beierus asciscere, neque Orellius commendare. ista enim particula frequenti errore, qui ex scribendi compendio *tn* originem duxit, aut mutata aut etiam eiecta est, vid. orat. *in Planc.* c. 25. §. 60. *Quis nostrum se dixit M. Curio — parem? quis — Maximo? tamen eosdem sumus honorum gradus quos illi assecuti*, ubi *tamen* in libris deterioribus amissum erat, recte ab E. Wundero reprehensum est ex Bavarico atque Erfurtensi. Cic. *pro A. Caecina.* c. 33. §. 98. *aut sua voluntate aut legis multa profecti sunt, quam si sufferre voluissent, tamen manere in civitate potuissent.* cf. *Emendatt. Tullian.* p. 17 sq. et quae copiose hac de re explicavi in censura orat. Plancianae ab Wundero editae l. l. p. 77 sqq. illo autem loco maiore vi dici *tamen obsurdescimus* quam *obsurdescimus tamen* facile quivis sentiet.

Ibidem. *cum senatu dimisso domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis, populo Romano, sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur deos potius quam ad inferos pervenisse.* hoc loco dubitari non potest quin recte Beierus scripserit: *a patribus conscriptis, populo Romano, sociis et Latinis*, quam scripturam optimi libri Erfurtensis et Vindob. II. comprobarunt, estque sane mirandum, quod Gernhardus *a populi Romani sociis et Latinis* scribendum existimavit. *de sociis et Latinis* cf. orat. *pro P. Sestio* c. 13. §. 30. *nihil acerbius socii et Latini ferre soliti sunt quam se, id quod perraro accidit, ex urbe exire a consulibus iuberi.*, quem ad modum ex libro palimpsesto scribendum locum significavi in *Emendatt. Tullian.* p. 32. in verbis autem quae sequuntur: *ad superos videatur deos potius quam ad inferos pervenisse*, miror quod Beierus *deos* eiiciendum putaverit quodque Orellius eius rationem non prorsus repudiarit. namque et libri et sententia ipsa hanc vocem tuentur. libri qui accurate col-

Isti sunt fere omnes habent *deos*, ut Erf., Basil., Bern., Vind. I., Vind. II., Haen., Aldi quattuordecim, Oxonienses sex, Palatini sex, Pithoeanus, Gothanus II., Cizenses tres, Vimarieusis, Dresdanus I., Lipsiensis I., Berolinenses tres aliique, adnotatque C. Langius: „*libri veteres quotquot vidi: ad superos videatur deos potius quam ad inferos pervenisse.*" cum igitur uno consensu omnes libri habeant vocem *deos*, non videtur interpolationis suspicio posse accipi, nisi quis forte omnia putat se posse contra librorum auctoritatem moliri. recte igitur defendit Gernhardus istam vocem, etiam ad sententiae integritatem eam requiri arbitratus, comparavit enim hos locos Ciceronis, in *Topic.* c. 23. §. 90. *atque etiam rursus aequitas tripartita dicitur esse: una ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere.* Liv. lib. 31. c. 31. *ut priore populatione cum infernis dis, secunda cum superis bellum nefarium gesserit.* Horati lib. I. carm. 10. v. 19 sq. *superis deorum gratus et imis* et *Ep.* lib. II. ep. 1. v. 138.

carmine di superi placantur, carmine manes.

quod autem sic veritus est cum Beiero Moserus, ne *deos*, ut in eo loco, quem Livi Gernhardus attulit, etiam ad *inferos* videatur pertinere, miror si homines doctissimi non viderunt eam verborum collocationem, quam instituit Tullius, istud iam declarare quem ad modum accipiendum sit. haec enim caussa videtur fuisse, cur cum primum dixisset scriptor, *ut ad superos videatur*, nunc adiecerit quasi explicationis caussa *deos potius*, atque tum demum concluserit orationem his verbis: *quam ad inferos*, ita iam non opponuntur superi di inferis dis, sed superi, qui sunt di, inferis. quod si critici animum advertissent semper ad verborum collocationem, rectius profecto atque melius explicassent Tullium.

Cap. IV. §. 13. *qui non tum hoc tum illud, ut in plerisque, sed idem semper animos hominum esse divinos iisque cum ex corpore excessissent, reditum in caelum patere optimo et iustissimo cuique expeditissimum.* hoc loco nemo requiret verbum *dicebat*, quod critici ex optimorum librorum testimonio omittendum censuerunt, apteque Ochsnerus contulerat lib. *de nat. deor.* I. c. 18. §. 47. *nam Cotta meus modo hoc modo illud.* nemo etiam illud mirabitur quod ego *ex corpore excessissent* scribendum duxi e libris Erfurtensi, Basileensi, (Bernensi apud Beierum), Lips. I., II. Vind. I., II. Haen. Oxoniensibus quibusdam aliisque. nam etsi *e corpore* dictum saepe est, tamen ne illud quidem existimandum est a Tulliana consuetudine abhorruisse. conf. *Somn.*

Scip. c. 3. lib. *de re publ.* VI. c. 14. *imo vero, inquit, ii vivunt, qui ex corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt.*, ubi nihil mutandum videtur esse. singularem autem numerum recte iam Gernhardus tutatus est his locis *Tusculan.* lib. I. c. 17. §. 40. *quae cum constent, perspicuum debet esse animos cum e corpore excesserint, sublime ferri.* eiusd. libri c. 30. §. 72. *ita enim censebat itaque disseruit, duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium.* orat. *pro P. Sestio* c. 21. §. 47., qui locus ex libro palimpsesto Vaticano ita videtur esse conformandus: *nesciebam inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent animos hominum sensusque morte restingui, alii autem tum mentis maxime sapientium ac fortium virorum, cum ex corpore excessissent, sentire ac vigere.* nam quod Orellius ait eo sententiam perverti, id si recte quae vis sit verborum *sentire ac vigere* percipimus, nihil afferet dubitationis, urgentur enim tum ista verba, ita ut hoc dicatur: alii autem dicunt tum mentis —, cum ex corpore excessissent, sentire ac vigere, ac si ante quod senserint et viguerint, non sit verus sensus ac vigor, eodem modo simili in caussa Cicero locutus etiam alibi est, conf. *de senect.* c. 23. §. 82. *sed nescio quo modo animus erigens se posteritatem ita semper prospiciebat, quasi cum excessisset e vita, tum denique victurus esset.* recte autem etiam illa sese habebunt: *maxime sapientium et fortium virorum*, ita ut Cicero primum quidem universe locutus sit, quod ne arrogantior videretur faceret necesse erat, deinde autem hoc maxime sapientibus et fortibus viris contingere affirmaret. cf. praeter hunc Laeli locum *de senect.* c. 23. §. 82 init. Quod autem pro volgato *e corpore* scribendum putavi *ex corpore*, ducebar eo, quod in libro palimspesto scriptum est *eo corpore*, atque *eo* et *ex* etiam alias in libris antiquis confusa inveneram. quod denique eiecta *que* particula est, id etsi optimis libris auctoribus Basileensi et Erfurtensi aliisque Gernhardi meisque factum est, neque a Tulliana dicendi consuetudine abhorret, ut cum dictum esset: *iisque (animis) cum ex corpore excessissent, reditum in caelum patere*, adiiceretur sine copula: *optimo et iustissimo cuique expeditissimum*, quibus verbis quod erat dictum non tollitur, sed restringitur tantum, neque ad grammaticam rationem non recte est dictum, pro *eorum optimo et iustissimo cuique expeditissimum*, quoniam duo membra in unum coniunguntur, tamen non vehementer intercedo, si quis revocandam particulam ex veteribus libris existimet, quae tamen etiam alias sine idonea caussa adiuncta est ab librariis.

Cap. IV. §. 14. *Quod idem Scipioni videbatur, qui quidem quasi praesagiret, perpaucis ante mortem diebus etc.* *Quod idem* scriptum est in Erfurtensi, Basileensi, Vindob I. Vind. II., Haen. omnibus Beieri libris, Oxoniensibus sex, Cizensibus, aliisque, ita ut pauci iique deteriores libri *quod item* tueri videantur, quod a Beiero receptum retinuit Orellius, id quod ego nullo modo possum probare, cum multis Tulli locis atque ipsa natura huius particulae possit evinci illam unice veram esse scripturam atque ad sententiam pene necessariam. volt enim Tullius hoc dicere, in eadem sententia fuisse etiam Scipionem, ea sententia, quae a Socratis iudicio non discreparet, idque dicendum erat: *quod idem Scipioni videbatur.* contra si dicitur: *quod idem Scipioni videbatur,* nihil aliud nisi hoc declaratur, quod non solum Socrati placuit, verum etiam Scipioni, quod quantum ab hoc loco abhorreat quisque facile intelligit. recte igitur laudandaque ratione Gernhardus defenderat *quod idem*, etsi magis exemplis quam re ipsa et ratione videtur esse ductus. exempla huius rei haec attulit, lib. *de offic.* I., c. 30. §. 109. *audivi ex maioribus natu hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica.* lib. *de finibus* III., c. 7. §. 25. *sapientia enim et animi magnitudinem complectitur et iustitiam et ut omnia quae homini accidant, infra se esse iudicet, quod idem in ceteris artibus non contingit,* quo in loco ut recte nemo de verbis *quod idem* dubitavit, ita satis mirari non possum, cur Goerenzius, Schützius, Orellius — Ottonem enim non miror — *et* particulam ante *ut omnia etc.* eiiciendam existimarint, quae ob eam caussam recte adiecta est, quod his verbis *ut omnia quae homini accidant infra se esse iudicet* nihil aliud significatur nisi nomen substantivum hoc: *despicientia omnium rerum humanarum.* conf. lib. *de oratore* II. c. 42. §. 178. *haec ut et properans et apud doctos et semidoctus ipse percurro, ut aliquando ad illa maiora veniamus.*, ubi errant critici, quod *et* ante *apud doctos* induci volunt; tria enim etiam si non verbis, at saltem sententia paria componuntur per repetitam *et* particulam. sed de hoc alias. redeo ad Gernhardum, qui affert deinde lib. *de finibus* eiusdem c. 13. §. 44. *quod idem Peripatetici non tenent, quibus dicendum est etc.* Laeli c. 18. §. 65. *est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, haec duo tenere in amicitia.* et c. 21. §. 80. *quod nisi idem in amicitiam transferetur, verus amicus numquam reperietur.* sic res videtur esse confecta, at tamen Goerenzius contra pugnat l. l. p. 297 sq. et id quidem duobus locis, altero lib. *de oratore* I. c. 39. §. 177. *quid? quod*

item in centumvirali iudicio certatum esse accepimus, qui Romam in exsilium venisset, cui Romae exsulare ius esset, si se ad aliquem quasi patronum applicavisset intestatoque esset mortuus. at quis non videt hic particulas *quid? quod* per sese stare, neque quidquam habere cum particula *item* istud *quod* commune, ita ut ridiculum sit hunc locum et primum esse a Goerenzio allatum et a Beiero approbatum. alter quem Goerenzius affert locus est, lib. *de offic.* III. c. 3. §. 15. *quod item in poematis, in picturis usu venit in aliisque compluribus etc.,* ubi recte quidem scribitur *quod item in poematis etc.* sed eadem vis harum particularum non requiritur, quae debet esse in isto Laeli loco. his disputatis nemo credo poterit de recepta scriptura *quod idem Scipioni videbatur* dubitare.

Ibidem. *quae se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat.* miror quod criticis aliis verba *in quiete,* aliis *per visum* suspecta de interpolatione fuerunt, cum ad sententiae integritatem neutra videantur posse abesse, optimique libri ac plurimi ea tueantur. possum enim aliquid in quiete audire quod non fit per visum, possum etiam per visum aliquid audire quod non fit in quiete. verba *in quiete* enim significant aliquid secundum quietem vel somnum esse factum, verbo autem *per visum* hoc dicunt esse istud non solum secundum quietem, sed etiam per somnium factum. sic legitur lib. *de divinat.* I. c. 29. §. 61. *tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia,* ubi quid aliud sunt *visa quietis* nisi ea, quae in quiete occurrunt. *Topic.* c. 20. §. 77. *a dormientibus quoque multa significata visis.* est enim: *quae se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat,* nihil aliud nisi: quae se dormientem per visum ex Africano audisse dicebat.

Cap. IV. §. 15. *quocum mihi coniuncta cura de publica re et de privata fuit, quocum et domus fuit et militia communis et id in quo est omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio.* quod hoc loco edidi *de publica re et de privata,* id factum est librorum optimorum auctoritate, quem ad modum iam ad libri qui est *de senectute* c. XVI. §. 55. p. 127 sq. explicavi, Bernensis, Vindobonensis II., Lipsiensium I., II., Vimariensis, qui habet *de populo romano* quod est, ut recte Beierus existimavit, ex male intellecto compendio *de r. p.* ortum. eadem oppositionis ratione Tullius etiam alias publicae rei opposuit privatam, velut *ep. ad Attic.* lib. I. ep. 17. §. 6. ed. Orell. *sed etiam sermonis communicatio, quae mihi suavissima tecum solet esse, maxime deest: — quid dicam? — in publicane re? quo*

in genere mihi negligenti esse non licet, an in forensi labore? eiusdem libri ep. 18. §. 1. ed. Orell. *qui mihi et in publica re socius et in privatis omnibus conscius et omnium meorum sermonum et consiliorum particeps esse soles, ubinam es?* quo utroque loco liber Mediceus receptam verborum collocationem tuetur. quod autem loco *de senectute* laudato ex libris Erfurtensi, Trevirensi, Lipsiensi I., Dresdano I. aliisque scribendum duxi: *nam et studio rusticarum rerum provectus sum et senectus est natura loquacior,* id comprobatum est etiam libro Vindobonensi II., cuius collationem eo tempore nondum nactus eram, ita ut mirum esse videatur, si quisquam de illa ratione dubitare potuerit. nam si in bonis, sed non omnibus libris melior verborum collocatio servata est, quis eam dubitat recipere, cum facilius usitatum illud quam id quod est ad loci rationem aptius elegantiusque potuerit irrepere? deinde non solum cum Beiero abiiciendum verbum *fuit* post *privata*, sed ne illud quidem faciendum putavi, ut *fuit* post *domus* non reciperem. priore enim loco certum est in omnibus, quotquot excussi sunt, libris istud haberi verbum, posteriore autem loco optimi quique libri ac plurimi verbum *fuit* tuentur, ut Erfurtensis, Basileensis, Vindobonensis I. II., Haenel., Dresd. I., Berolinenses tres, Cizenses duo, Oxonienses septem aliique. huc accedit, quod sententia ipsa si non flagitat, at recipit certe illud verbum commodissime, ita ut nunc iam oratio aequabiliter procedat in hunc modum: *quocum mihi coniuncta cura de publica re et de privata fuit, quocum et domus fuit et militia communis et id in quo omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio.* ita enim utrumque relativum suum habet verbum. quod si ex glossemate *fuit* irrepsisset, neque omnes libri haberent neque eo loco, quo uno omnium consensu collocatum est, positum, quam ob rem nulla videtur esse interpolationis suspicio.

Ibidem. *idque eo mihi magis est cordi, quod ex omnibus etc.* Sic ex libris Erfurtensi, Basileensi, Lipsiensi I. aliisque scribendum duxi, nam etsi haec verba in libris aliis aliam sedem occupant, non tamen videtur quidquam omittendum esse, illud autem pronomen *mihi,* cuius tanta vis non est, recte post *eo* collocatum est, nam si his verbis *eo* et *magis* circumcluditur, magna vis in eo pronomine non potest esse, qua de re infra dicam ad §. 16. *pergratum mihi feceris.* quod autem Goerenzius in Iahni *Annal. philol. et paedag.* vol. I. fasc. II. p. 298. contendit a Tullio in formulis *eo magis, eo minus etc.* non poni pronomen *id* neque *hoc,*

sed aut *eo* aut pronomem omitti, id recte atque ordine F. Handius in *Tursellini* vol. II. p. 416. reiecit exemplisque docuit falsum istud Goerenzi praeceptum esse. hoc loco alium Tulli locum foedo vitio eximam, quod usque ad hunc diem inquinavit omnis editiones quodque miror Haudi diligentiam, qui summa industria haec omnia persecutus est, effugisse. is locus est *epistt. ad famil.* lib. I. ep. 7. §. 8. ed. Orell., ubi volgo haec verba leguntur: *quod eo liberius ad te scribo, qui non solum temporibus his, quae per te sum adeptus, sed etiam olim nascenti prope nostrae laudi dignitatique favisti, simulque quod video non, ut antehac putabam, novitati esse invisum meae etc.*, quibus in verbis quemvis legentem offendet pronomen *qui* post *eo liberius* positum, praesertim cum infra sequatur: *simulque quod video non, ut antehac putabam, novitati esse invisum meae.* neque Handius ullum similem locum potuit afferre, ubi, quae particulae exciperent *eo* et *hoc* cum comparativis iuncta, explicavit: et tamen istud librariorum vitium impune praetermisit, quod non minus ineptam efficit sententiam quam idem pronomen in orationis *Plancianae* c. 24. §. 59. *quaesisti, utrum mihi putarem equitis Romani filio faciliorem fuisse ad adipiscendos honores viam an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari*, ubi docui in *Nov. Annal. philog. et paed.* 1832. vol. I. fasc. I. p. 114. ex libris pene omnibus *quia* pro volgato *qui* recipiendum fuisse. eadem adeo medicina afferenda est illi de epistolis loco, ubi ex libro palimpsesto Vaticano veteris commentari orationis Ciceronianae, quae est *pro T. Annio Milone* c. 15. §. 39. *classicorum auctor. e Vaticanis codicibus editorum* vol. II. p. 115. ed. A. Mai. scribendum est: *quod eo liberius ad te scribo, q u i a non solum temporibus his, quae per te sum adeptus, sed iam olim nascenti prope nostrae laudi dignitatique favisti.*, quo in loco miror ab Orellio praeclaras quasdam scripturas, quae sunt in editione Victoriana altera prorsus esse neglectas, nam etiam hoc loco recte habet ista editio *quia* pro *qui*, deinde pro *sed etiam*, quod haud scio an non sit in libro Mediceo, eadem editio recte scriptum habet *sed iam*, quod tuetur etiam liber palimpsestus Vaticanus. denique non potest dubitari quin vera sit haec scriptura, quam iam Orellius iure probavit: *laudi dignitatique favisti*, etsi Mediceus liber habet *laudi dignitatique praefuisti*, quod est a recentiore manu scriptum, neque *virtutique*, quod est in aliis libris adiunctum, probari ulla ratione potest, praesertim cum ad libri Medicei auctoritatem accedat gravissimum Vaticani libri testimonium. praeterea saepe est pro particula relativa

pronomen scriptum, quod inde potissimum videtur esse factum, quod simili compendio scribebantur, conf. supra c. II. §. 9. *Tu autem, Fanni, quod mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco nec postulo, facis amice.*, ubi libri minus emendati pro *quod* habent *qui.* idem factum infra est c. 2. §. 19. *hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus, quia sequantur quantum homines possunt optimam bene vivendi ducem.*, ubi libri deteriores pro *quia sequantur* vel *qui assequantur* vel *qui sequantur*, quod immerito Orellius commendavit, vel *quia assequantur* exhibent.

Cap. IV. §. 16. *Istuc quidem, Laeli, ita necesse est.* Sic libri Erfurtensis ac Bernensis, nec ego dubitavi id recipere, non solum propter eorum librorum auctoritatem et quod scio saepe esse *istud* pro *istuc* a veteribus pariter atque a recentioribus criticis scriptum, verum etiam propter ipsam orationis vim et loci naturam. namque *istuc* videtur ita respondere formae *istud*, ut *tunc* respondet particulae *tum.* hinc non solum propter litterarum similem sonum, sed etiam propter ipsam orationis subtilitatem videtur saepe Tullius dixisse *istuc quidem.* cf. *Academic. disputt. priorr.* lib. I. c. 4. §. 13. *Tum ille: istuc quidem considerabo, nec vero sine te.*, ubi Schützius imperitissime scripsit *istud quidem. Cat. mai.* c. 3. §. 8. *Est istuc quidem, Laeli, aliquid.*, ubi libri deteriores habent *istud quidem.* lib. *de divinat.* II. c. 15. §. 35. *qui idem istuc quidem dicunt, quod est dictum a te,* ubi idem Schützius scripsit *istud quidem*, sine ulla caussa. *Brut.* c. 6. §. 21. *Feci, inquam, istuc quidem et saepe facio.*

Ibidem. *Sed quoniam amicitiae mentionem fecisti et sumus otiosi, pergratum mihi feceris — spero item Scaevolae —, si quem ad modum soles de ceteris rebus quae ex te quaeruntur, sic de amicitia disputaris etc.* Iam alio loco significavi coniecturam Orelli, qua scribendum existimavit *per mihi gratum feceris,* probandam non esse. ista enim verborum collocatione effici, ut pronominis vis pene evanescat, quod hoc loco fieri non potest, quia sequuntur haec verba *spero item Scaevolae,* ad quae respiciens Cicero dixit *pergratum mihi feceris,* quanquam aliis locis ita quem ad modum voluit scribi Orellius locutus saepe est. est enim quod uno loco est aptissimum, altero loco interdum vitiosissimum. cf. *epistt. ad Attic.* lib. V. ep. 20. §. 10. *utrique nostrum honestum existimo; tum mihi erit pergratum.*, ubi si scriberetur *tum per mihi erit gratum,* omnis sententiae ratio perturbaretur. Deinde pro eo quod vulgo habemus in libris et scriptis et editis *cum ex te quaeruntur* scribendum duxi *quae ex te quaeruntur*, id enim ha-

ratione existimavit, cum hanc verborum collocationem recipiendam fuisse diceret, eumque secutus est etiam Beierus, ita ut mirer Orellium non ipsum quoque hos secutum esse. nam quem Gernhardus attulit locum *Academic. poster.* lib. I. c. 5. §. 18. *nam etsi non sus Minervam, ut aiunt, tamen inepte quisquis Minervam docet.*, eum recte dixit Goerenzius probare nihil. lib. *de offic.* I. c. 31. §. 110. recte quidem ex libris optimis scriptum est: *ex quo magis emergit quale sit decorum illud, ideo quia nihil decet invita Minerva, ut aiunt, id est adversante et repugnante natura.* nec hic quidquam facere videtur ad Goerenzi praeceptum infirmandum: utroque enim hoc loco sequitur etiam aliud quiddam quod ad amplificationem eius locutionis faciat, ita ut etiam sic illud *ut aiunt* inter ipsam, ad quam pertinet, sententiam interiectum esse videatur. aliis in locis, quos recordor semper *ut aiunt*, si id significat quandam vocem in proverbi consuetudinem abisse, interpositum est inter ipsa proverbi verba. conf. *Philipp.* III. c. 11. §. 27. *o praeclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum!* *epistt. ad fam.* lib. I. ep. 6. §. 2. *sed praesta te eum, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus.* earundem epistol. lib. XV. ep. 15. §. 3. *ad pacem currentem, ut aiunt, incitarem;* quos locos comparavit Goerenzius. hic numerus facili opera poterit augeri, ut orat. *in Pisonem* c. 28. §. 69. *iste claudus, quem ad modum aiunt, pilam.* Quid autem Orellius sibi velit, quod dixit se censere alteram verborum collocationem in dialogis, alteram in orationibus meliorem, fateor me non perspicere.

Ibidem. *qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequalitas, liberalitas, nec sit in eis ulla cupiditas, lubido, audacia.* hoc loco quod ego edidi *aequalitas*, ubi volgo *aequitas* nunc scribitur, est in libris, qui ullam possunt auctoritatem habere, omnibus, ita ut quod est in paucis iisque non bonis libris *aequitas*, sane ex coniectura veteris critici ortum esse videatur, non minus quam illud, quod est in Bedae excerptis *aequabilitas.* neque tamen contendo reiiciendas esse has coniecturas, si illud quod est in libris pene omnibus defendi non queat. sed hoc videtur locum suum ita tueri, ut statuamus f i d e m eam virtutem significare, ut quod spoponderis facias, i n t e g r i t a t e m ut nulla re patiare te corrumpi, a e q u a l i t a t e m ut te aliis non praeponas, ut aequalis aliis esse velis, l i b e r a l i t a t e m ut etiam plus, quam opus sit, de eo, quod tibi debeatur, remittas, liberoque dignum te exhibeas. Sic *aequalis* et *aequalitas* certe a posterioribus scriptoribus usurpatum est, conf. Forcellini Lexicon

s. v. *aequalis.* quod etsi dubitari poterat an Ciceronis tempore non ita dictum esset, nolui tamen interea quidquam mutare. Sed certius poterit iudicari de iis verbis quae sequuntur: *nec sit in eis ulla cupiditas, lubido, audacia,* ubi volgo legebatur *cupiditas vel lubido vel audacia,* particulae autem a me eiectae sunt: quas omittunt codices nisi me fallit pene omnes, velut Erfurtensis, Bernensis, Vindob. II., omnes Beieri libri, Cizensis I., II., Vimariensis aliique, quod idem licet de Oxoniensibus suspicari. alii habent: *cupiditas vel lubido, audacia,* ut Vindob. I., Haenel. hinc facile poterit explicari quo modo istae particulae irrepserint, nam cum antiquitus scriptum esset *cupiditas lubido audacia,* littera *l* in *lubidinis* voce aut bis lecta aut scripta bis habita est pro compendio particulae *vel,* quod erat *l'*. cf. E. Wunderi *Varias lectiones al. lib. Cic. e codice Erfurtensi enotatas.* p. XXXVIII. p. CXXIII. hinc illud natum est, quod cum esset priore loco ascriptum, debebat etiam altero repeti. sic particula *vel* saepe numero in libros immerito venit, quae etiam alio compendio *v'* scribi solita videtur, quod ex uno exemplo satis poterit cognosci, namque in orat. quae est *in L. Pisonem,* c. 35. §. 85. cum esset scribendum: *a te Iovis Uri fanum antiquissimum barbarorum sanctissimumque direptum est,* in libris tamen omnibus legitur: *a te Iovis Velsuri,* quae scriptura est orta hinc, quod ultimam nominis *Iovis* syllabam fortasse a properante librario contractam pro *vel* particula habuerunt, quod eo certius videtur sic factum esse, quia in libris quibusdam illud est *I. vel Suri* scriptum. si igitur *vel* particula potuit in orationem eam irrepere, in qua omnino non habet locum, quanto facilius illo loco illata est, ubi quandam veri similitudinis speciem prae se fert.

Ibidem. *modo quos nominavi.* hunc verborum ordinem, quem iure etiam Goerenzius tutatus est, defendit de meis libris Vindobonensis II., qui etiam hoc loco cum Erfurtensi conspirat. in iis autem, quae sequuntur: *hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus, quid sequantur quantum homines possunt naturam optimam bene vivendi ducem,* iam supra vidimus *etiam* his in locis, si libri eam tueantur particulam, omittere temerari esse critici, cf. quae diximus ad c. I. §. 1. non recte igitur fecit Beierus, quod istam particulam ex editione vetere quadam omisit, mirorque hanc rationem Orellio etiam probari potuisse. quod autem scriptum est cum editoribus plerisque *quia sequantur,* id explicavi ad c. 14. §. 16. p. 118. estque ita aperte scriptum in libro Vindobonensi II.

Ibidem. *namque hoc praestat amicitia propinquitati.* ne quis id, quod Beda in excerptis habet *nam* pro *namque,* probet, dicendum est in libris omnibus istam particulam compositam haberi, quae etsi videtur interdum pro simplici substituta esse, tamen sine idonea caussa mutari non poterit. sed tamen in Tulli libro *de divinatione* I. c. 30. §. 62. scribendum videtur *nam* pro eo, quod nunc volgo in editionibus est *namque*, his in verbis: *nam Carneades concertationis studio modo ait hoc, modo illud.* sic editiones veterrimae quaeque ut Petri Marsi, Iuntae, Manuti, Lambini exhibent et idem flagitat consuetudo Tulliana quae ut recte observavit R. Stuerenburgius non fert *namque* nisi ante vocalem litteram. contra falsum illud *namque* in Victori eorumque qui eam exceperunt editionibus est nescio qua auctoritate.

Cap. V. §. 20. *ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos iungeretur.* Omnes hoc loco quotquot collati sunt libri *duos* habent, praeterquam quod Lambino teste in Memmiano emendatum est *duo,* ab inepto fortasse grammatico, ita ut miror et hoc loco et aliis multis criticos sane egregios in re minutissima saepe esse falsos. nam quod Beierus ait accusativi formam *duo soles* haberi apud Ciceronem lib. *de re publ.* I. c. 10. et c. 19. lib. II. c. 19. *duo filios,* id praeterquam quod altero loco lib. I. c. 19. *duo soles* casus nominativus est, nihil aliud probat, nisi vere istam formam esse a Tullio usurpatam; nam si illud voluit Beierus efficere librorum palimpsestorum auctoritate usquequaque rescribendum esse *duo* pro *duos,* ne ita quidem cogi poterat alteram formam Tullio repudiatam esse, conf. orat. quae est *in P. Vatinium* c. 10. §. 25. *qui duos nefarios patriae proditores domesticos hostis legibus exterminarat.*, ubi etiam liber palimpsestus apud A. Maium *classicorum auctorum e Vaticanis codicibus editorum* Vol. II. p. 179. formam *duos* tuetur, quam ob rem etiam libri *de senectute* c. 20. §. 75. ex libris omnibus edidi *duos Decios* et *duos Scipiones,* est enim etiam his locis sine idonea caussa nihil novandum, praesertim cum etiam veteres grammatici nihil aliud dicant nisi formam *duo* saepe fuisse accusativi, itaque ex librorum auctoritate in posterum debebit indicari, utrum scribas *duo* an *duos.* in omnibus libris *duos* etiam in emendatissima oratione Ciceronis, quae est *pro A. Cluentio,* scriptum est c. 45. §. 127. *duos solos video auctoritate censorum affinis ei turpitudini iudicari,* ut aliis locis multis.

Cap. VI. §. 20. *Est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia*

et caritate consensio. Sic rectissime Beierus hunc locum constituit. neque enim ulla caussa erat cur critici optimorum ac plurimorum librorum auctoritatem posthaberent paucorum neque eorum optimorum testimonio. ac primum quidem *Est enim amicitia* pro *Est autem amicitia* legitur in libro Erfurtensi, Basileensi, Bernensi, Vindobonensi I, Vindob. II., Haenel., in libris Beieri praeter unum omnibus, in Aldinis sexdecim, in Oxoniensibus septem aliisque. Sic vix ullus liber tuetur volgatam scripturam recteque Beierus de huius loci sententia existimavit cum scripsit: *hic ex ipsa, quae praeponitur, amicitiae definitione efficitur, amicitiam inter paucos tantum iungi.* Nos dicamus: *nämlich.* conf. F. Handi *Tursellini* vol. II. p. 376., et potissimum p. 382., ubi vir doctissimus docuit criticos saepe sine idonea caussa *enim* in *autem* mutandum censuisse, quod etiam hoc loco videmus esse factum. deinde verbum *summa,* quod volgo ante *consensio* scriptum est, et si recipitur, cum voce *consensionis* coniungendum est, non cum *caritatis,* quod falso videmus factum in libro Vindobonensi I., in quo scriptum est: *cum benevolentia et summa caritate.,* recte idem Beierus existimavit esse ex glossemate adiectum eorum, qui hunc locum exaequare vellent cum eis verbis, quae leguntur c. 4. §. 15. *quocum et domus fuit et militia communis et id in quo est omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio.* nam quod Orellius esse ait hoc vocabulum ex iis, quae librarii pro suo captu vel omitterent, §. 61., vel adderent, §. 96. hic tamen locum suum tueri videri, id non possumus viro egregio assentiri. etenim ut hunc locum interea omittam illud *summa* si quando est abiectum in libro quodam, cum ceteri id tueantur, hoc inde videtur esse factum, quod *summus* scribebatur per compendium, quod cum legi satis perspicue non posset, omiserunt prorsus librarii, aut in aliud verbum mutarunt. sic videmus in Cic. orationis *Plancianae* c. 1. §. 2. in libris deterioribus *suum* pro *summum* scriptum, ubi dubitari non potest quin *summum* recte sit receptum a novissimis editoribus; sic huius dialogi c. 17. §. 61. in verbis: *modo ne summa turpitudo sequatur,* excidit *summa* ex libro Bernensi et Cizensi II., ubi eiiciendum non est. contra secus videtur Orellius existimavisse de c. 25. §. 96., ubi ego scribendum censui: *ita re magis quam summa auctoritate caussa illa defensa est.,* quod non solum optimorum ac pene omnium librorum auctoritate factum est, verum etiam cum ipsa eius loci sententia egregie congruit, qua de ratione exponam infra. de isto autem loco, unde digressi sumus, ita

in hunc locum cadit, nam Tullius facit Laelium aliquid dicentem, quod quidem et per sese verum esse videatur et pro vero a Laelio ipso habeatur, sed ita tamen, ut quod Laelius volt probare, primum satis dubitanter dicat; deinde autem c. 27. §. 104. cum sibi docuisse videatur nihil esse amicitia melius in vita hominum, satis aperte haec dicit: *vos autem hortor, ut ita virtutem* (quae est sapientis) *locetis, sine qua amicitia esse non potest, ut ea excepta nihil amicitia praestabilius esse putetis.* eadem ratio videtur esse eius loci, qui est in *epistt. ad Attic.* lib. IV. ep. 3. §. 2. *Quinti fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata iussu Clodi inspectante urbe coniectis ignibus magna quercla et gemitu, non dicam bonorum, qui nescio an ulli sint, sed plane hominum omnium,* ubi codices noti, ut ait Orellius, *ulli* tuentur, etsi ipse edidit *nulli;* sed illud, quod est in libris: *nescio an ulli sint,* multo videtur ad loci sententiam aptius atque accommodatius esse quam *nescio an nulli sint,* quod longe pinguius rem declarat. sed ne videar sine idonea caussa viris doctissimis obloqui, constitui alio loco hac de re explicare ac fortasse in ipso huius libri fine.

Cap. VI. §. 20. *beluarum hoc quidem extremum: illa autem superiora caduca et incerta etc.* hic verbum substantivum quod volgo erat post *extremum* scriptum, omittendum existimavi cum Beiero et Orellio non solum quod in multis libris omissum est, ut in Oxoniensibus tribus, Dresdensi II., Vimariensi, Cizensi, Vindob. I., Haenel. aliisque, in aliis transpositum, ut in Basileensi, Vindobonensi II., in quibus legitur: *beluarum hoc quidem est extremum,* verum etiam quia, ut acute E. Wunderus observasse videtur ad orat. *Plancian.* c. 35. §. 86. *sed haec leviora, illa vero gravia atque magna,* Tullius videtur fere semper sic esse locutus, conf. quos locos Wunderus attulit in *Commentariis* p. 214. *Philipp.* III., c. 9. §. 23. *sed haec leviora fortasse, illud quaero etc. Philipp.* II. c. 11. §. 25. *sed haec vetera, illud vero recens etc.* quibus adde *pro Ligario* c. 4 §. 11. *haec admirabilia, sed prodigi simile est etc.*

Ibidem. *Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem: sed haec ipsa virtus etc.* quod hoc loco adiiciunt quidam libri deteriores post *praeclare illi quidem* aut *faciunt* aut *agunt,* id nemo non videt esse ex glossemate ortum, recteque iam existimarunt critici nihil esse hoc loco adiiciendum: sed tamen paucis, quid de his locis, ubi aliquid videatur repetendum ex iis, quae antecedunt, statuendum sit, exponam. grammatica enim ratio, quae numquam

concedit quidquam esse omissum, quod non queat ex iis, quae scripta sunt, suppleri et intelligi, nisi forte aperta sit aposiopesis quae dicitur, requirit ut id verbum, quod praecessit, suppleamus, ita ut plena sententia haec sit: qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem ponunt, sed tamen quod ad grammaticam rationem, quae non potest carere fundamento suo, recte se habet, saepe sententiae ipsi minus accommodatum est, ita ut scriptor id, quod ex grammatices legibus repetendum necessario est, non videatur voluisse suppleri, sed aliud quid, quod ex isto verbo, quod scriptum est, possit sumi. itaque ne ii quidem erraruut, qui dixerunt supplendum esse verbum *statuunt*, modo ne id ex grammatices legibus factum esse contendant. similes loci apud Ciceronem multi sunt, ut infra c. 20. §. 74. *isto enim modo nutrices et paedagogi iure vetustatis plurimum benevolentiae postulabunt: qui negligendi quidem non sunt, sed alio quodam modo.*, quem locum cum neque Gernhardus bene expedivisset nec eius censor Goerenzius l. l. p. 311., recte interpretatus est Beierus, cum diceret ad ultima haec verba: *sed alio quodam modo*, ex eis, quae dicta supra essent, sumendum esse: *negligendi non sunt.* nam neque *colendi*, quod deteriores quidam libri adiiciunt, neque *amandi* neque *diligendi*, ut alii libri scriptum habent, ad hunc locum satis accommodatum est, neque potest, quod voluit Goerenzius, *curandi* ex iis, quae antecedunt, intelligi. quid autem Gernhardus sibi velit, quum dicit *alio quodam modo* etiam c. 2. §. 6. nude positum esse, non satis intelligo. eo enim loco cum haec verba scripta sint: *tribuebatur hoc modo Catoni: scimus L. Atilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, sed uterque alio quodam modo*, facile suppleas: *sed uterque alio quodam modo sapiens appellatus est.* itaque Beierus recte statuit illo loco, quod *non negligendi* repetendum putavit. sunt autem veteres hac dicendi ratione et saepissime et maxima cum libertate usi, ut Tullius fecit, qui in lib. *de finibus* II. c. 27. §. 88. ita est locutus: *uterque enim summo bono fruitur, id est voluptate. at enim hic etiam dolore.*, ubi grammatica ratio requirit, ut suppleatur: *at enim hic etiam dolore fruitur*, sententia autem suadet, ut scriptori aliud quoddam verbum ante oculos obversatum existimes. sed his disputatis nihil aliud effici volo nisi rationem grammaticam his in locis nihil aliud, nisi cuius certum vestigium assit, posse supplere, sententiarum autem conformationem non idem, sed simile verbum optare. quod grammatici, qui hanc rem attigerunt, parum videntur

perspexisse, conf. L. Ramshorn. *gr. Lat. ampl.* 208. p. 1021. ed. sec., qui satis ieiune hos locos interpretatus est, cum ascripsit quod verbum supplendum esset.

Cap. VI. §. 22. *qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque ac tu ipse gauderet?* hoc loco etsi volgo scribitur: *quis esset tantus fructus in prosperis rebus etc.*, libri tamen optimi habent: *qui esset tantus fructus etc.*, ut Erfurtensis, Basileensis, Bernensis, Dresd. 106. apud Beierum et Lips. β. ad hanc optimorum librorum auctoritatem accedit sententiae ratio, quae ut scribatur: *qui esset tantus fructus etc.*, suo iure videtur postulare, ita ut mirer non solum criticos omnis hoc loco esse falsos, qui *quis esset* retinuerunt — nam quod Beierus scripsit *quî*, id ne ipsum quidem videtur esse ad hunc locum aptum —, verum etiam grammaticos, qui hunc locum ausi sunt afferre tamquam praecepti sui firmamentum, conf. L. Ramshorn. *gr. Lat. ampl.* §. 159. 1. p. 564. ed. sec. etenim hoc loco iam illud quod sequitur: *tantus fructus*, non fert pronomen *quis*. nam si ille fructus, qui est in prosperis rebus, iam tantus erat dictus, non poterat quaeri, quis esset ille, sed qui aut qualis. nam potest alicuius rei fructus permagnus esse, nec tamen ita iucundus, quam minor, quo possis cum amico perfrui. recte igitur atque ordine id videtur a nobis receptum, quod est in libris optimis. praeterea autem comparandos existimo hos locos Tullianos, lib. de offic. II. c. 4. §. 15. *quae esset oblectatio valentium, qui victus aut cultus, nisi tam multae nobis artes ministrarent?* lib. *de finib.* II. c. 24. §. 79. *sed quid ages tandem, si utilitas ab amicitia, ut fit saepe, defecerit? quae ista amicitia est? etc.* quod autem Beierus contendit *qui* (casu nominativo) tum demum verum esse, si abesset *tantus*, iam significavi posse aliquem fructum permagnum esse, sed tamen non gratum, quam rem urget scriptor quaerendo: *qui esset tantus fructus?* Gernhardi denique annotatio, quae legitur in *Addend.* p. 274., requirit, ut si *qui* legatur, omittenda aut interrogatio sit aut *fructus* nomen iuxta *qui* ponendum, quae quam sint falsa non opus est docere.

Ibidem. *itaque non aqua, non igne, ut aiunt, locis pluribus utimur, quam amicitia.* hoc ego loco ex libro Vindobonensi II. et Haeneliano pro *igni* scripsi *igne*, cum quid ceteri haberent, non satis constaret, cf. lib. *de offic.* I. c. 16. §. 32., ubi eadem forma videtur in omnibus libris haberi: *pati ab igne ignem capere, si qui velit.* de forma *cive* et *civi* conf. *Emendatt. Tulliann.* p. 32., ubi docui in Cice-

ronis oratione quae est *pro P. Sestio* c. 12. §. 29. ex libro palimpsesto scribendum esse: *quod ausus esset pro eive, pro pene merito cive, pro amico, pro re publica deprecari.* quamquam suspicor omnibus his locis antiquitus scriptum fuisse *civei, ignei etc.*, unde ista scripturae discrepantia orta est, cf. Quintil. *institut. orator.* lib. I. c. 7. §. 15. quam ob caussam recte videtur C. Lachmannus in Catulli carminibus fecisse, quod non sine librorum vetustorum indiciis in his formis *ei* scripsit pro *i*, conf. carm. IV. v. 23. *cum veniret a marei*, ubi libri vetustissimi Caroli Dati et Laur. Sauteni *amaret* scriptum habent, Silligius autem ex libris deterioribus scripsit *a mare*, quod etiam antiqui grammatici, ut Priscianus VII. 11. §. 58. ed. Krehl., videntur comprobavisse. deinde pro *pluribus locis*, ut volgo legitur, scripsimus *locis pluribus* et quidem optimorum librorum auctoritate, ut Erfurtensis, Basileensis, Bernensis, Vindob. I., Vindob. II., Haenel. aliorumque. tantum enim abest ut *pluribus* magis urgeatur, si praepositum est, ut eo loco, quo nunc collocatum est, plurimum ponderis videatur habere: videturque tum magis etiam ad eam, quae instituta est, comparationem spectare.

Cap. VII. §. 23. *Cumque plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bona spe praelucet in posterum nec debilitari animos aut cadere patitur.* hic locus in iis habendus videtur, in quibus lubricum admodum ac difficile iudicium est de librorum discrepantia, namque hic librorum auctoritas optimorum prope flagitat, ut scribamus: *quod bona spe praelucet in posterum*, sententia autem ipsa videtur illud efficere, ut accusativum qui est in multis libris tamquam rariorem praeferamus scribamusque: *quod bonam spem praelucet in posterum.* qua in re iudicanda ita versatus sum, ut ubi ipsa loci ratio in medio, quid potissimum optares, reliquisset, optimos libros ante ponendos putarem deterioribus. libri igitur Erfurtensis, Bernensis, Vindobonensis II., septem Oxonienses, Aldi libri plurimi, Lips. I., II. apud Beierum et Berol. δ. ε. aliique defendunt ablativum. contra *bonam spem* tuetur Basileensis cum deterioribus libris multis, velut Vindob. I., Haeneliano aliisque. sic ex librorum auctoritate necessario praeferendum videtur esse *bona spe praelucet.* at facilius potuit *bonam spem*, cum esset per compendium scriptum *bonā spē*, in *bona spe* corrumpi, quam illud contra estque etiam longe exquisitius. huic rei ita optime occurrimus, ut primum consideremus si *bonam spem* esset in libro antiquo, mirum videri, quod in optimis *bona spe* scriptum sit, in deterioribus *bonam*

spem, cum boni libri plerumque integriorem scripturam servarint, mali deteriorem. deinde illud etiam saepe est factum, ut quod sine ullo compendio erat scriptum, id existimarent plenius etiam scribendum esse, itaque etiam saepius ablativus in simili caussa mutatus in accusativum est; ita ut haec critica ratio per sese nihil videatur probare. quod autem dicunt accusativum tamquam rariorem structuram anteferendum esse, ne id quidem possum hominibus doctissimis assentiri; librarii enim, quos interdum singulorum verborum usum parum perspectum habuisse constat, magis id cum sequerentur quod ipsis ante oculos versaretur, quam quod Tullius scribere posset, facile pro *bona spe praelucet* poterant scribere *bonam spem praelucet*, quod praeter quam quod ad verborum constructionem difficilius videtur esse, ad sententiam facillimum est. ita hoc quidem argumento vix poterit effici necessario anteferendam esse deteriorum librorum scripturam, quae etsi ita, ut fecit Beierus, explicari poterit ut *bonam spem praelucet* sit quasi lumen aliquod bonae spei praefert et ostendit, tamen aliis locis similibus defendi non poterit; illud contra quod ego recepi: *quod bona spe praelucet in posterum*, non solum simplicis verbi *lucendi* usu comprobatur, sed etiam *praelucere* ita usurpatum invenias, uti apud auctorem *responsionis in C. Salustium Crispum*, qui Tullianum sermonem certe affectavit, c. 2. §. 5. *ego meis maioribus virtute mea praeluxi, ut si prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriae suae.*

Ibidem. *quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis et dissidiis funditus possit everti?* hoc loco quod Beierus omittendum censuit verbum *est* post *civitas* eique quodam modo etiam Orellius assensus est, id non possum probare, nam et libris omnibus verbum defenditur et collocatio eius ad hunc locum accommodatissima est, neque enim scribendum videtur cum libro quodam deteriore: *quae tam firma est civitas*, cum non id videatur Tullius dicere: q u a e c i v i t a s t a n t u m h a b e t f i r m i t a t i s, sed illud potius: q u a e e s t c i v i t a s, q u a e t a m f i r m a s i t, ita ut *est* plus quam orationis copula sit: quam ob caussam scriptum recte est: *quae tam firma civitas est?* deinde pro vulgato illo *quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti*, scripsimus *quae non odiis et dissidiis etc.*, quod est in optimis libris ac plurimis, ut in Erfurtensi, Basileensi, Bernensi, Vindob. II., Haenel., omnibus Beieri libris, plerisque Gernhardi, Oxoniensibus quattuor aliisque. facile autem hoc loco intelligitur, cur *atque* illatum sit, quod videtur propterea

scriptum esse, quod praecesserunt haec verba: *quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest.* sic credo ubique libros optimos his in particulis sequendos esse, quod videmus interdum etiam a diligentissimis criticis esse neglectum, conf. lib. *de officiis* I. c. 43. §. 153. *illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum et humanarum scientia,* quo in loco non recte videtur *atque* esse scriptum pro *et,* quod est in libris Bernensibus quattuor et Basileensi.

Cap. VII. §. 24. *quis est qui id non maximis ecferat laudibus?* ne quis cum libro Bernensi scribendum existimet: *maximis laudibus ecferat*, commemoro R. Stuerenburgium, qui in oratione, quae est *pro Archia poeta,* c. 7. §. 15. recte ex libro Erfurtensi edidit: *istane doctrina, quam tu ecfers laudibus, eruditi fuerunt?* pro eo quod volgo erat in libris: *quam tu laudibus effers,* atque, ut decet bonum grammaticum, etiam rationem reddidit, cur id esset factum. conf. praeterea lib. *de offic.* II. c. 10. §. 36. *itaque eos viros suspiciunt maximisque ecferunt laudibus, in quibus existimant se excellentis quasdam et singularis perspicere virtutes.* alia caussa est lib. *epistol. ad famil.* IX. ep. 14. §. 1. (*ad Attic.* lib. XIV. ep. 17. §. 1.) *qui omnes cum te summis laudibus ad caelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agunt.*

Ibidem. *Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvi nova fabula! cum ignorante rege, uter esset Orestes, Pylades Orestem esse se diceret, ut pro illo necaretur; Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret.* sic hic locus ex libris optimis constitutus est, neque quidquam habeo quod adiiciam, nisi quod ego ex libro Erfurtensi, Basileensi aliisque priore loco pro *se esse,* quod volgo legebatur, scribendum duxi *esse se.* namque hoc etiam ad huius loci sententiam videtur esse aptius. etenim si scribimus: *Pylades Orestem se esse diceret,* nimis videtur urgeri istud pronomen *se,* in quo cum primum Pylades Orestem esse se dixit, non tanta vis esse debebat. quae non erit, si scribimus: *Pylades Orestem esse se diceret.* contra altero loco recte scribitur: *Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret,* quoniam hic iam magis urgendum erat istud pronomen *se* propter eam, quam prior asseveratio efficit, oppositionem. Praeterea eadem scena utitur Tullius etiam alias, ut praestantiam amicitiae ac fidem declaret, ut lib. *de finibus* II. c. 24. §. 79. *Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille Siculo fecit tyranno, aut Pylades*

cum sis, dices te esse Orestem, ut moriare pro amico? aut si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares? et si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non precarere? quem locum cum ceteri critici male intellexissent, ego in libro *quaestionum Tullianarum* I, p. 58 sqq. explicaram atque ab ineptis coniecturis defenderam, ita ut de eius integritate amplius dubitari non posse videretur: at tamen novissimus istorum librorum editor tantum abest ut rationes meas perceperit, ut mihi aliquid exemplis docendum mandaverit, quod satis arguit eum etiam nunc huius loci rationem ignorare. quapropter rationem meam denuo defendam, non quo errorem homini isti detraham, qui videtur corrigi et ad meliorem rationem vocari non posse, sed ne quis alius ab eo in errorem vocetur. ego autem l. l. p. 59. haec scripseram, hanc esse istius loci sententiam: „si Epicurum sequare, amicitias non poteris recte colere; non te vadem pro amico dabis tyranno; non cum Pylades sis, dices te esse Orestem, nec si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares: nec vero cum id probare non posses, non precarere, quo minus ambo una necaremini," deinde eandem sententiam etiam iis verbis, quae sunt in libris, declarari his verbis docueram: „Cicero cum dixisset: *aut si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares?* quibus verbis aperte significavit Torquatum, si Epicuri praecepta sequeretur, hoc non facturum; sic perrexit: *et si id non probares* (*te esse Orestem*), *quo minus una necaremini, non precarere?* quod cum eadem atque in iis, quae antecedunt, sit constructio, necessario sic erit exponendum: nego te, si id non probares te esse Orestem, quo minus ambo una necaremini, non precaturum, i. e. tantum abest, ut si illud fieret, cum amico velles mori, ut recusares, quo minus una necaremini. haec cum satis aperta videantur, planior tamen erit sententia, si sic velimus haec verba pinguius quidem interpretari: si id non probares, diceres: non precor, quo minus una necemur? i. e. non diceres: non precor, quo minus una necemur." deinde patrio sermone hunc locum ita verteram: „*Oder wenn du Orestes wärest, würdest du den Pylades widerlegen, dich anzeigen? und wenn du dies nicht beweisen könntest, würdest du nicht bitten, dass man euch nicht beide hinrichte?* i. e. dempta duplici negatione: *würdest du es zufrieden sein, dass man euch beide hinrichte?* i. e. *du würdest es nicht zufrieden sein.*" ad haec Otto ad lib. *de finibus* V, c. 22. §. 63. p. 347. „*Recte,*" inquit, „*ad sensum haec interpre-*

tatus est Klotzius (non eram ego ad sensum, non certe ad Ottonis sensum, haec interpretatus, *ad sensum* enim *interpretari* est ita interpretari, ut alter sentiat et intelligat, quod dicitur (cf. *de orat.* I., c. 23. §. 108. *oratio ad volgarem popularemque sensum accommodata*), sed non sensit nec intellexit Otto.), *sed*, pergit iste, *neglexit*, *id quod et Goerenzio et mihi offensioni fuit*, *exemplis docere*, *Ciceronem ita loqui precor quo minus pro precor, ne, cuius equidem structurae nullum novi exemplum.* id quidem nec unquam dictum est nec potuit dici. at intelligens quisque facile videbit ex mea ratione non dixisse Tullium *precor quo minus* sed *non precor quo minus*, quod, quoniam non cum imperitis Latinae linguae hominibus loqui mihi videbar, exemplis neque illo tempore docui nec unquam docebo.

Cap. VII. §. 25. *sed aliud quoddam filum orationis tuae.* Sic rectissime scripserant novissimi editores ex libris et plurimis et optimis: estque etiam libro Vindob. II., quem semper videmus cum optimis facere, comprobata haec scriptura, etsi Vindob. I. et Haenel. suam quisque interpolationem agnoscunt. In iis quae sequuntur: *Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum est de re publica disputatum, affuisses*, recte Beierus defendit verba *Tum magis id diceres*, ubi Gernhardus male scripserat *tu magis id diceres*, loco Cic. lib. *de re publ.* I. c. 40. §. 62. allato: *Et Scipio: Tum magis assentiare, Laeli, si, ut omittam similitudines, uni gubernatori, uni medico, si digni modo sint iis artibus, rectius esse alteri navem committere, aegrum alteri, quam multis, ad maiora pervenero.*, ubi cum liber palimpsestus habeat *assentiar*, miror quod Orellius maluit cum Mosero *tum magis assentiere* scribere quam cum Maio *tum magis assentiare.* modorum enim varietas hoc loco non solum inepta non est, verum etiam aptissima. certum enim est Scipionem esse ad maiora perventurum ideoque dixit simpliciter: *si — ad maiora pervenero*, illud autem, quod dixit se magis Laeli assensum laturum, qua par erat modestia, extulit his verbis: *tum magis assentiare.*

Cap. VIII. §. 26. *studiis enim generorum, praesertim in re bona, cum difficile est tum ne aequum quidem obsistere.* ne quis Orellio, qui *tum difficile est* ex libro Basileensi ac Bernensi, ad quos etiam Vindob. I. et Haen. accedunt, commendavit, assentiatur, laudo R. Stuerenburgium virum amicissimum, qui ad orationem, quae est *pro Arch. poeta* c. 12. §. 31. p. 164 sqq. egregie de harum particularum usu exposuit atque hunc locum p. 165. attigit.

praeter alios libros etiam Vindob. II. recte *cum difficile est* tuetur., etiam libri *de senectute* c. 15. §. 53. nunc scribendum existimo ex libris Erfurtensi et Trevirensi: *qua quid potest esse cum fructu laetius tum aspectu pulcrius?* ut iam Stuerenburgius significavit.

Ibidem. *Saepissime igitur mihi de amicitia cogitanti maxime illud considerandum videri solet, utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet.* hoc loco commemorandum primum est illud, quod est in libro Basileensi, quattuor Oxoniensibus aliisque scriptum *desideranda sit amicitia,* nullo modo posse probari, quod praeter rationem grammaticam, qua haec verba excipiunt coniunctivi temporis imperfecti, etiam tota sententia non concedit. saepe numero autem quod aliquando desideratum est, semper desiderandum videtur, unde factum est, ut pro perfecto, quo significaretur aliquid et olim desideratum esse et etiam nunc desiderari, poneretur a librariis gerundivum. conf. infra c. 21. §. 80. *ita pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia per se et propter se expetita, nec ipsi sibi exemplo sunt, haec vis amicitiae qualis et quanta sit,* ubi cum volgata esset scriptura *amicitia per se et propter se expetenda,* ex libris ego Erfurtensi, Vindobonensi II., Pithoeano aliisque scribendum putavi: *amicitia per se et propter se expetita.* deinde eo loco de quo digressi sumus libri optimi ac plurimi, ut Erfurtensis, Basileensis, Bernensis, Vindob. II., Haenel., Oxonienses praeter unum omnes aliique permulti *in* ante *dandi* omittunt, Haenelianus vero a secunda manu ĩ (i. e. *in*) ascriptum habet. erat igitur iam propter summam librorum auctoritatem illa praepositio damnanda, quae quoties sine ulla caussa idonea ante ablativum illata sit in libros deteriores, dici vix potest. ablativus autem ille sine praepositione hoc loco est aptissimus, quod ne multa afferam satis intelligi potest ex loco quodam simillimo, qui est lib. *de officiis* II. c. 4. §. 15. *quas res et mansuetudo animorum consecuta et verecundia est, effectumque, ut esset vita munitior atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re egeremus,* quem ad modum illum locum recte scriptum habet Nonius s. v. *commodare* p. 276. v. 14. ed. Merc. quae autem exempla attulit Gernhardus, ea nihil aliud probant nisi si res diverso modo cogitetur itaque exprimatur, posse etiam praepositionem *in* adiici, de quo nemo unquam dubitavit. his autem locis ablativus sine ulla praepositione positus locum

suum tuetur optime, nam illo dictum est: *ut dandis et recipiendis meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet*, ita ut *dandis et recipiendis meritis* sit ablativus quo ratio redditur qua acciperet ab alio vicissimque redderet; atque hoc interpretandum ita est, ut eò, quod darent et reciperent merita, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio etc. eo autem loco, quem excitavi ex libro *de officiis* II. c. 4. §. 15. scriptum est: *ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re egeremus*, ubi eodem ablativo *dando et accipiendo etc.* idem exprimitur: ut eo quod darent et acciperent mutuarenturque facultates et commodarent nulla re egeremus, ut istis ablativis dicatur caussa, cur nulla re egendum sit. sed res per sese facillima est, a me autem explicata propterea, quod loco non recte intellecto optima optimorum librorum scriptura cessit falso atque inepto grammaticorum glossemati. praeterea quod in libro Erfurtensi scriptum est *ab illo* pro *ab alio*, id neque per se est improbabile et facillime potuit *ab illo* in *ab alio* depravari, conf. lib. *de senect.* c. 18. §. 63. *consurrexisse omnes illi dicuntur et senem sessum recepisse*, ubi in libro Trevirensi *alii* pro *illi* scriptum est per errorem. sed etiam ad huius loci sententiam non est ineptum illud pronomen, nam etsi non iam est hoc loco ipse amicus dictus, a quo acciperet, tamen cum praecessissent haec verba: *utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia*, facile potuit ex iis ipse amicus elici. quod cum ita sit, fateor me libri Erfurtensis testimonium non aspernaturum fuisse, si alii etiam libri accessissent, quorum gravior esset auctoritas, quam unius Manutiani, Gothani b., Vimar., qui apud Gernhardum *ab illo* exhibere scribuntur.

Ibidem. *Amor enim, ex quo amicitia nominata est, princeps est ad benevolentiam coniungendam.* sic libri optimi et plurimi hunc locum scriptum habent, ut Erfurtensis, Basileensis, Bernensis, Vindob. I., Vindob. II., septem Oxonienses, Cizenses A. B., Goth. b., Dr. b. apud Gernhardum, omnes denique Beieri libri, neque erat ulla caussa, cur cum in aliis libris esset scriptum: *ex quo amicitia est nominata*, quibus etiam Haenelianus accedit, in nullo autem, quantum equidem sciam, *est* neglectum, verbum substantivum omittendum existimarent critici. id enim quod saepe his de verbis dixi, etiam hoc loco repetendum est, nullo fere loco talia non esse transposita, idque factum nulla alia de caussa,

nisi quod memoria tenerent tam brevis voces neque oculis ad antiquum libri exemplum respectarent librarii. quoties igitur optimi libri in ista particula eiusque sede consentiunt, vix poterit interpolationis suspicio moveri. hac de caussa in libro *de senectute* c. 14. §. 46. *sicut in symposio Xenophontis est* cum Orellio ex libris bonis scripsi, cum ceteri *est* omitterent. §. autem 47. *nihil autem molestum est* ex libro regio Parisino aliisque edidi. c. 18. §. 63. *quae et apud nos et in aliis civitatibus, ut quaeque optime morata est, ita diligentissime observantur.*, ubi ego *morata est* ex libro Treviréusi, Haeneliano aliisque edidi et nunc idem in libro Vindob. II. scriptum invenio. deinde in iis, quae sequuntur, verbis: *in amicitia autem nihil fictum est, nihil simulatum et quidquid est, id et verum est et voluntarium,* non putavi ego cum reliquis criticis abiicienda verba substantiva post *fictum* neque post *verum,* cum libri optimi ea tuerentur. denique miror, quod Orellius c. 9. §. 29. in verbis his: *quod si tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel quod maius est, in hoste etiam diligamus.* bis omittendum esse putavit verbum substantivum *est* post *probitatis* cum Beiero, post *maius* autem cum Petro Suffrido, etsi utroque loco in omnibus libris habetur. in iis autem quae statim sequuntur verbis: *quid mirum est, si animi hominum moveantur, cum eorum, quibuscum usu coniuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur,* idem ego verbum *est* ex libris Erfurtensi, Bernensi, Vindob. I., Vindob. II., quattuordecim Manutianis, septem Oxoniensibus, omnibus Gernhardi excepto uno Cizensi C., cunctis Beieri libris aliisque adiiciendum duxi, quod ceteri critici spreverant. id etsi *quid mirum* per se dici potest, videtur tamen propterea eiectum potius quam adiunctum ab librariis esse, quod hoc loco propter eam conditionem, quae sequitur, exspectes coniunctivum *sit.* recte tamen etiam indicativus se habet, conf. Cic. orat. *pro M. Caelio* c. 12. §. 29. *dies iam me deficiet, si quae dici in eam sententiam possunt, coner expromere.*, ubi cum Orellius primum indicativum *deficiet* mutandum in coniunctivum *deficiat* existimasset, in addendis vol. II. p. II. p. 639. locum retractavit, coll. libro *de finibus* II. c. 19. §. 62. *sed dies me deficiet*, qui locus tamen ab isto alienus est, aptius poterat comparare eiusdem capitis §. 60. *an est aliquid per se ipsum flagitiosum, etiam si nulla comitetur infamia.* postremo c. 19. §. 70. *quod est multo profecto magis in veris patribus certisque faciundum* scripsi, ita ut *est* ante *multo* adiicerem, ex libris optimis ac

pene omnibus, Erfurtensi, Basileensi, Bernensi, Bernensi altero, Vindob. II. aliisque libris.

Ibid. §. 27. *applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione quantum illa res utilitatis esset habitura.* Satis mirari non queo, quod Orellius Beieri errorem, quo nulla librorum auctoritate ductus reiiciendum nomen *res* post *ista* putavit, non solum non reiecit prorsus, verum non dubitavit commendare. certum est enim eum librarium, qui si pronomen *illa* solum hoc loco scriptum esset, adiiciendum istud nomen existimasset, re vera correxisse ipsum Tullium eiusque orationem emendasse. hoc enim loco etsi omitti posse istud nomen videatur, est tamen cum adiectum sit, aptissimum non solum ad grammaticam rationem, quod sine eo dubitari possit, quo *illa* pertineat, verum etiam ad ipsam sententiam. significatur enim, si ista verba legimus: *quam cogitatione quantum illa res utilitatis esset habitura,* istorum hominum, qui utilitatum caussa colunt amicitiam, summa levitas, qui amicitiam quasi aliquam rem, unde utilitatem percipiant, contemplentur, ita ut etsi Tullius istis verbis *illa res* nihil dixerit aliud nisi amicitiam, tamen ex istorum hominum persona locutus esse videatur. eodem modo Tullius locutus saepe est, cf. lib. *de officiis* I. c. 21. §. 73. *ad rem gerendam autem qui accedit, caveat ne id modo consideret, quam illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem.*, ubi *illa res* non ita dictum est, ut respiciat ad rem publicam quam geras, sed ut ad totam gerendae rei publicae actionem pertineat, et explicandum sit simpliciter: *quam illud honestum sit.* neque vero hoc nomen in eorum numero videtur habendum esse, quae solita sint oriri ex glossemate, ita ut etiam in oratione Ciceronis *pro P. Quintio* c. 1. §. 5. *quod si tu iudex nullo praesidio fuisse videbere contra vim et gratiam solitudini atque inopiae, si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate, caussa pendetur: profecto nihil est iam sanctum neque sincerum in civitate, nihil quod humilitatem cuiusquam gravitas et virtus iudicis consoletur. certe aut apud te et eos, qui tibi adsunt, veritas valebit; aut ex hoc loco repulsa vi et gratia locum, ubi consistat, reperire non poterit.*, dubitem an nomen *res*, quod adiunctum post *ubi* in multis libris est Venetaque editione, non sit ab aliena manu profectum. nam etsi c. 2. §. 10. *te, C. Aquilli, vosque qui in consilio adestis, orat atque obsecrat, ut multis iniuriis iactatam atque agitatam aequitatem, in hoc tandem loco consistere et confirmari patiamini,* videatur verba: *ubi consistat, reperire non*

poterit, defendere, tamen c. 22. §. 71. eodem fere modo, quo *ubi res consistat*, dicuntur haec verba: *quod si tum par tibi ius cum Alfeno fuisse non putas, quia tamen aliquem contra te advocare poterat, quia magistratus aliquis reperiebatur, apud quem Alfeni caussa consisteret; quid hoc tempore Quintio statuendum est?*

Ibidem. *quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus et ita ab eis amantur, ut facile earum sensus appareat.* hoc loco recte vidit Beierus non posse cum libro Bernensi omitti verbum *quoddam*, aliud enim esse *ad quoddam tempus* i. e. ad quendam temporis terminum, aliud *ad tempus*, quod hoc loco aptam sententiam non efficit; ita ut mirer Orellium, cuius iudicium alias plurimi facimus etiam in his rebus, non improbare libri Bernensis ac Bedae scripturam *ad tempus.* illud autem, quod nostri homines dicunt *ad quoddam tempus* vel *ad aliquod tempus eine Zeit lang* Latinum non magis est, quam *per aliquod tempus* pro eo, quod Romani dixerunt, *aliquamdiu.* deinde pro volgato: *et ab eis ita amantur* ex libro Erfurtensi aliisque scribendum putavi: *et ita ab eis amantur*, quod nemo facile improbabit.

Ibidem. *quae dirimi nisi detestabili scelere non potest.* animadvertant tirones, qua in re saepe etiam doctos videmus labi, Tullium eiusque aequalis non fere dixisse *non nisi*, nisi verbum unum plurave interponerentur, quod factum et hoc loco videmus et aliis multis, nos autem nimis saepe eos scriptores sequi, quorum sermo cum iam desisset purus adeo atque emendatus esse, ab eis dictum est *nonnisi* non interpositis aliis verbis, velut Livius dixit et Plinius. conf. infra c. 20., quo in capite bis istam formulam diverso modo usurpavit Cicero, uti §. 72. *quod non fere contingit nisi iis qui etiam contemnendos se arbitrantur.* §. 74. *nec ob aliam caussam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia.*, ubi nostrates scribunt *et non nisi quod tanta est inter eos.*, *amici esse non possunt etc.* saepe autem, ut in illo loco, a quo discessimus, praecedit *nisi*, et negatio sequitur, uti *epistt. ad fam.* lib. I. ep. I, §. 1. *quoniam tu nisi perfecta re de me non conquiesti.*, ubi non recte videtur Orellius distinxisse; *quoniam tu, nisi perfecta re de me, non conquiesti.* est enim *de aliquo non conquiescere* nihil aliud nisi *sollicita cura esse de aliquo,* conf. praeter alia Plaut. *Pseudol.* act. I. sc. I. v. 121.

de isthac re in oculum utrumvis conquiescito.,

quo versu nihil aliud dicitur nisi: de isthac re esto securi animi.

Cap. VIII. §. 28. *Nihil est enim virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum etc.* hic aegre fero quod neque Beierus nec Orellius Goerenzi praeceptum secutus est, qui cum in suis libris omnibus Bedaeque excerptis scriptum vidisset: *nihil est enim virtute amabilius,* pro volgato: *nihil est enim amabilius virtute*, id recipiendum existimavit; idque eo videtur ferendum aegrius, quod in optimis libris postea est cognitum istam verborum collocationem haberi, ut in Erfurtensi, Basileensi, Bernensi, plurimis Beieri aliisque libris, quibus etiam Vindob. I. et Vindob. II. accedunt. illud enim plane non intelligo, quam ob rem hoc loco Beierus commemoraverit epanaphoram, quae ad hanc rationem nihil poterit efficere. denique conf. quem iam Goerenzius attulit locus lib. *de natura deorum* I. c. 44. §. 121. *quando Stoici melius, qui a vobis reprehenduntur! censent autem sapientis sapientibus etiam ignotis esse amicos: nihil est enim virtute amabilius, quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur.*

Ibidem. *quippe cum propter probitatem etiam eos, quos numquam vidimus, quodam modo diligamus.* quod ego hic *etiam eos* pro volgato *eos etiam* scripsi, id factum est optimorum librorum auctoritate, ut Erf., Bern., Vindob. I., Vindob. II. omnium pene Beieri aliorumque. atque etiam in lib. *de senectute* c. 23. §. 83. nunc scribendum existimo: *equidem ecferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi: neque vero eos solos convenire aveo, quos ipse cognovi, sed etiam illos, de quibus audivi et legi et ipse conscripsi.* ibi enim *etiam illos* pro volgato *illos etiam* optimi libri tuentur Erfurtensis, Trevirensis, Basileensis, quibus iam Vindobonensis I. adiiciendus est. alterum autem quod hoc loco pro volgato: *neque vero eos solum convenire aveo* ex isdem libris, quibus idem Vindobonensis nunc accedit, scripsi: *neque vero eos solos convenire aveo,* id nemo reprehendet, qui diligentius in has res inquisierit; nam quod Gernhardus ait p. 156. ubi *sed etiam* sequatur, adiectivum *solus* non solere iungi cum negativa particula, is vero error videtur esse. etenim et cogitari optime potest ita haec ratio et alii etiam loci sunt, ubi similiter locutus Tullius est, conf. lib. *de amicitia* infra c. 27. §. 102. *nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara et insignis,* ubi quantum equidem sciam, nulla est scripturae discrepantia in ullo codice. lib. *de senectute* c. 11.

§. 36. *nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis.*, ubi etsi libri Erfurtensis et Basileensis, ad quos iam accedunt Vindobonenses ambo, *nec vero corpori solum* exhibent, tamen Parisinus regius optimus, Trevirensis, Haenelianus, ceteri libri volgatam a meque servatam scripturam tuentur, quae cur immutata sit, facile intelligitur. lib. *de officiis* I. c. 4. §. 12. *impellitque, ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit ob easque caussas studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat.*, ubi nemo adhuc de recepta scriptura dubitavit. lib. *de finibus* I. c. 11. §. 37. *non enim hanc solam sequimur, quae suavitate aliqua naturam ipsam movet et cum iucunditate quadam percipitur sensibus: sed maximam illam voluptatem habemus, quae percipitur omni dolore detracto.* adde his Livi lib. *histor.* XXXIX. c. 6. *neque ea sola infamiae erant, quae in provincia procul ab oculis facta narrabantur, sed etiam magis, quae in militibus eius quotidie conspiciebantur.* facile autem intelligetur neque idem esse, dicasne *non solus — sed —, non solus — sed etiam —*, an *non solum — sed —, non solum — sed etiam —*, et alio loco recte dici *non solus*, alio non item. etenim quoties *non solus* dicitur magis illud *solus* cum ipsa persona cohaeret, de qua loquimur, non cum facto, quod exprimimus, ita ut tum solitudinis, ut ita dicam, notio magis videatur urgeri, ubi nos dicamus: *ich bin nicht der Einzige —, sondern auch Andre u. s. w.* vel: *ihn nicht als den Einzigen —, sondern auch Andre.*

Ibidem. *Quis est qui C. Fabrici, M'. Curi non cum caritate aliqua benevolentiae memoriam usurpet, quos numquam viderit? quis est autem qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit?* quod ego hoc loco secutus sum Beierum, qui ex paucis neque eis satis probatis libris edidit: *cum caritate aliqua benevolentiae*, id non idcirco factum est, quod illis libris Gothano, Dresdano 117., Metelli denique quidquam auctoritatis tribuerem, sed quod ex ceterorum librorum corruptelis et vestigiis nihil melius videretur posse effici, quam illud erat, quod sine dubio ipsum quoque ex coniectura in istos libros irrepsit. alii enim libri, ut Erfurtensis, Vindobon. II., Haenelianus, Pithoeanus habent: *cum caritate aliqua benevola*, alii, *cum caritate aliqua benevolentia*, ut Basileensis, Vindobonensis I. alii *cum caritatis aliqua benevolentia*, ut Oxoniensis I., alii *cum caritate aliqua et benevolentia*, ut Oxonienses plerique

et volgati libri. Ex his librorum vestigiis optimum visum est, quod Beierus reposuit cl. c. 9. §. 32. *quam ob rem hos quidem ab hoc sermone removeamus: ipsi autem intelligamus natura gigni sensum diligendi et benevolentiae caritatem facta significatione probitatis.* quod autem pro *quis autem est* scripsi ego *quis est autem,* id factum est et librorum optimorum auctoritate, ut Erfurtensis, Basileensis, Bernensis, et sententia prope flagitante, hoc enim loco illud *est* plus est quam orationis copula ideoque recte anteponitur: *quis est autem.* hinc credo apparet, cur in lib. *de senectute* c. 2. §. 5. scripserim: *quid enim est aliud Gigantum modo bellare cum dis nisi naturae repugnare?* et c. 9. §. 28. *quid enim est iucundius senectute stipata studiis iuventutis?* et c. 19. §. 67. *quod est illud crimen senectutis, cum id videatis cum adolescentia esse commune?* quod vero Beierus istam particulam reiiciendam existimavit, id multo minus poterit probari, recte enim, quod ad omnem sententiam pertinet, ad singularem vocem adiicitur, eodem modo etiam Graeci locuti sunt: *τίς μὲν γὰρ —; τίς δὲ —;* et Latini saepe alias.

IX. §. 29. *quid mirum est, si animi hominum moveantur etc.* hoc loco qua re ego ex libris pene omnibus, Erfurt., Bernensi, Vindob. I., II., (Haenel.,) quattuordecim Aldi, septem Oxon., omnibus Beieri, plerisque Gernhardi scripserim, explicatum supra est ad c. 8. §. 26. deinde quod Beierus ex libro Lipsiensi I. et excerptis Eybi commendavit *virtutem et probitatem perspicere videantur,* ibi dubitari non potest quin *probitatem* ex glossemate sit pro *bonitatem* scriptum. nam cum bonitas esset universe magis dicta, putavit glossator id requiri vocabulum, quod non solum omnem hominis bonitatem (Güte) significaret, sed arctiorem, ut ita dicam, virtutem quandam (Rechtschaffenheit). huc accedit quod in probitatis vi atque magnitudine declaranda non poterat scriptor eodem verbo uti, de quo haec scripsit; itaque recte quam supra dixerat *probitatem* his verbis: *quod si tanta vis probitatis est,* eandem nunc duobus vocabulis virtutem et bonitatem appellavit.

Ibidem. *quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo.* hoc loco etsi de verbis iis, quae sunt in libris, ipsis non poterit esse ulla dubitatio, de eorum tamen explicatione dissenserunt docti, ita ut hoc loco alienum esse non videatur paucis, quid de singulis habendum sit, exponere. sunt enim tria potissimum, de quibus dubitari posse videatur. ac primum quidem verba *animi et amoris* cum

Gernhardus ita explicasset, ut diceret: *praeter animi motum Laelius amorem confirmatum dixerat: utrumque nunc dicit primum motum animi et amoris*, Beierus contra per ἓν διὰ δυοῖν haec interpretatus est multasque eius rei similitudines attulit, velut *Tusculan. Disputat.* lib. II., 5., 12., ubi *tanta levitate et iactatione* dicitur., ita ut *motus animi et amoris* nihil ei esse aliud videretur nisi motus animi amantis. quod etsi ita verti nostra lingua commode possit, istarum tamen quas dicunt figurarum rationes non magnae aut nulli omnino utilitati sunt, multum etiam nocent, cum multi ex illis figuris nihil non posse explicari existiment. quam ob rem iam alias significavi his rhetorum artificiis multum tribuendum non esse, sed quaecumque habemus coniuncta verba, ea sic esse interpretanda, ut singula per se quaeque consideremus et qua ratione composita sint explicemus. hoc autem loco, ut ceteris locis omnibus, quos attulit Beierus, facillime utrumque vocabulum per se poterit accipi. Est enim saepe factum, ut duo vocabula coniungerentur, quorum unum rem quandam universe magis exprimeret, alterum eam accuratius definiret. istorum autem vocabulorum alterum prouti res postulabat mox postpositum mox antepositum est alteri. priorem locum hic id nomen obtinet, quod rem universe declarat, est enim animus nihil aliud nisi id quod nos dicimus *Neigung* (*Ab*-vel *Zuneigung*), amor autem rem accuratius describit, ita ut nos idem duobus vocabulis utamur: *bei jener ersten Regung der Neigung und Liebe.* idem factum est *Tusculan.* lib. II. c. 4. §. 12. *videre licet alios tanta levitate et iactatione, ut iis fuerit non didicisse melius.*, ubi primum *levitas* universe dicitur, deinde *iactatio* quod est vitium quoddam quod ex ipsa levitate nascitur. lib. autem *Tusculan. disputt.* I. c. 25. §. 63. haec leguntur verba: *nam et auribus oblectatio magna parta est, inventa et temperata varietate et natura sonorum, et astra suspeximus cum ea, quae sunt infixa certis locis, tum illa non re sed vocabulo errantia.* quo in loco verbum quod universe rem declarat non sine idonea caussa postpositum est, nos quoque dicamus: *nach der Verschiedenheit und natürlichen Beschaffenheit der Töne,* nec satis Latinam orationem expressam habeas, si dicas: *nach der natürlichen Verschiedenheit der Töne.* *Tuscul.* lib. II. c. 1. §. 2. *quod si talis nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere eademque optima duce cursum vitae conficere possemus: haut erat sane quod quisquam rationem ac doctrinam requireret*, ubi *ratio ac doctrina* non est *gelehrte Theorie* vel *Theorie der Gelehrsamkeit*, sed

potius: *die Theorie und Gelehrsamkeit.* huic adiiciendus est alius quidam locus non commemoratus ille a Beiero, qui legitur lib. *Tuscul.* IV. c. 9. §. 21. *quae autem lubidini subiecta sunt, ea sic definiuntur, ut ira sit lubido poeniendi eius, qui videatur laesisse iniuria; excandescendia autem sit ira nascens et modo exsistens, quae θύμωσις Graece dicitur; odium, ira inveterata; inimicitia ira ulciscendi tempus observans; discordia ira acerbior, intimo odio et corde concepta; indigentia lubido explebilis; desiderium lubido eius qui nondum assit videndi.*, quem locum qui correxerunt, parum videntur Tullianum sermonem cognitum habuisse, quod ne arroganter magis quam vere videar dixisse, breviter studebo docere. eas autem coniecturas, quas critici hoc loco multas protulerunt, eo magis possumus omittere, quod in illa, quam ego tutatus sum scriptura, libri omnes uno consensu conspirant. ac primum quidem nulla est caussa, cur *intimum odium* non recte dictum esse videatur, quod idem videtur esse atque id, quod Tullius alio loco dixit *odium penitus insitum*, cf. *de lege agrar.* orat. II. c. 6. §. 14. *non enim natura neque discidio neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu;* neque abhorrent ab hoc loco eae locutiones, quibus dicuntur *intimus sensus*, *intima cogitatio*, *intima familiaritas etc.* deinde ne illud quidem poterit offendere, quod ex istius loci ratione dictum videtur esse *intimum cor*, nam etsi cor per sese intima hominis pars est, tamen et nos eodem modo loquimur et Romani locuti sunt, ut quod penitus in corde inclusum esse videatur, id in intimo corde esse dicamus. quid est igitur mirum, quod Cicero dixit discordiam esse iram acerbiorem intimo odio conceptam, i. e. quae ex intimo quodam odio nasceretur et intimo odio quasi conciperetur, et cum haec dixisset videreturque *intimo odio* ita dictum esse, ut etiam loci, ubi sederet ista ira, mentio fieret, illud adiecit ipsum nomen, quo ex corporis humani natura concipitur ira, ita ut *intimum odium* primum partem aliquam cordis, quae est odi, significet, tum autem illud totum adiiciatur, quod est cor. nos dicamus: *im innersten Hassgefühle und Herzen.* estque hoc non audacius dictum quam eo quem supra explicavi loco *varietas et natura sonorum*, ubi eodem modo speciali generale adiectum est. Adiunxit Beierus lib. *de legg.* I., c. 7. §. 22. *ex tot animantium generibus atque naturis etc.* ex his locis apparebit, credo, in verbis *animi et amoris* non esse haerendum, quae etsi non sunt dicta per ἓν διὰ δυοῖν, quem ad modum voluit Beierus, tamen aptam habent senten-

tiam. Alterum, quod hoc loco commemorandum est, pertinet ad pronominis *quidam* significationem, de qua rixatus est Beierus cum Gernhardo, quorum cum Beierus dixisset ad lib. *de offic.* II. c. 11. §. 38. *ergo et haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit et maxime iustitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, mirifica quaedam multitudini videtur; nec iniuria.* significare pronomen *quaedam* nihil aliud denique, nisi *valde*, ab eo dissensit Gernhardus ad *Lael.* c. 13. §. 48. p. 105 b., qui dixit istud pronomen significare potius *nescio quo modo.* at uterque erravit, Beierus quod dixit *valde* hac ratione exprimi, quod quidem poterit in multos locos cadere, sed tamen paullo pinguius ita explicatum est. nam *quidam* nullam per sese habet cum adverbio *valde* similitudinem nec ullam coniunctionem. nec minus falsus est Gernhardus, qui dixit *quidam* his locis esse *nescio quo modo*, cum per adverbium adiectivum explicari non possit, id quod cadit etiam in Beieri explicationem. denique dubitari non poterit, quin cum ad adiectivum quoddam adiiciamus istud pronomen *quidam*, hoc nobis velimus, ut dicamus nos non satis intelligere quale illud sit, de quo loquimur, sive re vera nesciamus, sive id fingamus, ut uberius possimus explicare, hinc intelligitur posse interdum si sententiam tantum sequimur, id dici *valde* aut etiam *nescio quo modo* significare, quod per sese non est ita. exempla eius rei Beierus satis multa attulit possuntque fere ubique conspici. tertium, quod hoc loco tacendum non est, facit ad illam Romanorum rationem, qua ibi saepe nomen substantivum ponunt, ubi nos exspectamus adiectivum, quem ad modum hoc loco dictum est *exardescit benevolentiae magnitudo* pro *magna benevolentia exardescit*; id etsi hoc loco magnam difficultatem non habet, aliis tamen locis etiam criticos exercitatissimos fefellit, uti lib. *de oratore* II. c. 23. §. 140. *quo modo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo caussarum: est enim infinita, si in personis ponitur.*, ubi cum non intellexissent critici, qua ratione dicta essent haec verba *pertimescenda est multitudo caussarum*, pro *ponitur* scribi voluerunt *ponuntur*, quo de loco dixi *quaestt. critt.* lib. I. p. 39. de tota autem ratione ea, qua substantivum adiectivo antetulerunt Romani, explicavit C. I. Grysár *Theorie des Lat. Stils.* p. 145.

Cap. IX. §. 30. *Sed quamquam utilitates multae et magnae consecutae sunt, non sunt tamen ab earum spe caussae diligendi profectae.* hoc loco non recte fecerunt Beierus atque Orellius, ille quod *et* particulam ante *multae* ex

uno neque eo bono libro recepit, hic quod scripturam a Beiero receptam commendavit. ceteri libri, etiam Guelpherbytani tres et Gottingensis, quorum collationem nunc commodum accepi, istam particulam omittunt, quae ut saepe alias illata temere est, ita hoc loco videtur hinc potuisse nasci, quod in aliis, veluti in Gottingensi, scriptum erat *magnae et multae*, quorum ordo cum immutaretur, poterat *et* ante *multae* retineri. unius autem libri, nisi forte habendus est ille praestantissimus, quod non cadit in Gudianum, nulla potest esse in his rebus auctoritas.

Ibidem. §. 32. *At ii qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt, nec mirum.* etsi in iis libris, qui hanc scripturam tuentur *At ii* pro volgato *Ab iis*, id videtur non ex antiquo libro ortum esse, sed ex docti hominis emendatione, cum antiquissimi libri plurimique exhibeant uno consensu *ab iis*, tamen dubitari nullo pacto potest, quin vera sit ista scriptura atque integra, quae quam facile corrumpi potuerit, apparet. in sequentibus autem, quod est in quibusdam libris *nec est mirum*, id etsi supra scribendum duximus §. 29. *quid mirum est*, quod nunc etiam in tribus libris Guelpherbytanis video esse, tamen hoc loco prorsus reiiciendum est, in hac enim formula sollennis est verbi substantivi omissio.

Ibidem. *quam qui appetiverunt, applicant se et propius admovent.* hoc loco quod ego scripsi *se* pro volgato *sese* factum est auctoritate optimorum librorum Erfurtensis, Basileensis, Bernensis, Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Gottingensis aliorumque, quos in his rebus semper putavi sequendos. dici enim vix potest quoties *se* et *sese* inter se confusa sint in libris manu scriptis.

Ibidem. *suntque pares in amore et aequales propensioresque ad bene merendum quam ad reposcendum, atque haec inter eos fit honesta certatio.* sic Beierus hunc locum restituit, rectissime. nam etsi optimi libri ac plurimi hoc loco volgatam scripturam: *sintque pares in amore et aequales propensioresque ad bene merendum quam ad reposcendum, atque haec inter eos sit honesta certatio* tuentur, tamen iam Orellius rectissimo iudicio Beieri rationem comprobavit, qua ille ex libro Dresdensi I (106.) locum constituit, cuius vestigium prementem nunc videmus etiam Haenelianum, qui *suntque* habet a prima manu, ex quo tamen *sintque* per lituram effectum est, *fit* autem in eo libro etiam aperte scriptum est. facile autem potuit id, quod saepe alias factum est, *sintque* scribi, cum librarii putarent id suspensum esse a praecedente

particula *ut*, quod cum esset factum, eodem modo *fit* mutatum est in *sit*. de sententia recte iudicavit Beierus. nam quamquam docui lib. *quaestt. Tullian.* I. p. 21. Latinos saepe etiam ea tamquam ex alterius consilio suspensa attulisse per quandam orationis sive attractionem sive concinnitatem, ubi nos contra statuimus, tamen hoc loco vix poterit ista ratio locum habere.

Ibidem. *Sic et utilitates ex amicitia maximae capientur et erit eius ortus a natura quam ab imbecillitate et gravior et verior. nam utilitas si amicitias conglutinaret etc.* hic pene adducor, ut bis ab ea, quam recipiendam putavi, scriptura recedam. ac primum quidem in verbis *et gravior et verior* priore loco particulam *et* libri omnes fere omittunt, ut Erfurtensis, Basileensis, Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Guelpherbytanus I., II., III., Gottingensis, omnes Beieri libri, Oxonienses quinque aliique libri apud Gernhardum, ita ut particula illa, quae necessaria non est, omittenda esse videatur. deinde poenitet me receptae scripturae: *nam utilitas si etc.*, pro volgata: *nam si utilitas etc.*, quam Beierus ex uno libro Dresdensi I. mutandam duxit. nam ut videatur illa verborum collocatio elegantior esse, tamen orationis vis hoc loco volgatum verborum ordinem tueri videtur; non enim u t i l i t a s hoc loco a l i i r e i opponitur, sed oppositio magis spectat ad verba *conglutinaret* et *dissolveret*.

Cap. X. §. 33. LAELIUS. *Audite vero, optimi viri, ea quae saepissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur.* quod hoc loco nomen Laeli in personarum notatione omissum est, id mea describentis culpa accidit; illud autem difficilius est ad explicandum, cur pro volgato *Audite ergo* scribendum putarim *Audite vero*. ac primum quidem librorum auctoritas *vero* potius quam *ergo* videtur postulare, uti habent libri Erfurt., Basil., Guelpherbytani tres, Gottingensis, alii apud Beierum, Oxonienses sex, Vindob. I., Haenel., quamquam Vindob. II. cum iis facit, in quibus *ergo* est. quod etsi recte defendit F. Handius *Tursellini vol.* II. p. 452. ita ut esset: *nun so hört*, tamen etiam altera scriptura habet, quo commendetur. nam praeterea quod saepe etiam alias *audite vero* dictum est, uti lib. *de oratore* II. c. 7. §. 28. quem locum attulit etiam Beierus: *tum omnes oculos in Antonium coniecerunt, et ille: audite vero, audite, inquit. hominem enim audietis de schola atque a magistro et Graecis litteris eruditum*, ad hunc locum videtur ob eam caussam *vero* aptius esse quam *ergo*, quod *ergo* tantummodo conclusionem eam exprimit, qua Laelius se dicit adductum

precibus generorum ea explicare, quae inter se et Scipionem de amicitia disputata essent. *Audite vero* cum scribimus, illud una significatur istos quidem audituros esse, sed non Laeli ipsius sententiam, sed ea quae inter Laelium et Scipionem saepissime disserebantur. Sic putavi *vero* particulam recipiendam esse, quam si quis repudiet, poterit frequenti harum particularum confusione abuti atque dicere facilius potuisse $\overset{o}{g}$ in $\overset{o}{v}$ mutari, quam illud contra; cui argumento hic eo minus possum tribuere, quod saepe videmus *ergo* scriptum pro *vero*, ubi vix possumus *ergo* defendere et res in libris manu scriptis in facillimo errore posita est.

Ibidem. *quamquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum vitae diem permanere.* Etiam in his verbis veritus non sum nomen substantivum *diem*, quod volgo in editionibus recentissimis omissum est, ex optimorum librorum auctoritate recipere. namque omnes fere qui accurate sunt collati libri videntur illud nomen in verbis his: *usque ad extremum vitae* tueri, uti Bernensis, Basileensis, Erfurtensis, Vindob. II., Haenel., Guelpherbytani tres [in his Gudianus], Gottingensis, alii apud Beierum sex, Oxonienses quinque, multi denique Gernhardi libri. in paucis iisque deterioribus abiectum substantivum est. ad hanc autem optimorum librorum auctoritatem accedit etiam orationis Tullianae consuetudo, ita ut si hanc teneamus, de vera et sincera scriptura dubitari plane non queat. notum est enim omnibus Tullium eiusque aequalis non dixisse *in medio fori*, sed *in medio foro*, eodem plane modo non dicebant *extremo vitae*, sed aut *extrema vita* aut si accuratius vellent loqui *extremo vitae die*, uti lib. *de senectute* c. 21. §. 78. *supremo vitae die*. ita eiusdem libri c. 9. §. 30. non dixit Cicero: *ita bonis esse viribus extremo aetatis*, sed: *ita bonis esse viribus extremo tempore aetatis*. quod si tenemus, apparet hoc loco iam per sese non potuisse scribi: *quamquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum vitae permanere*, sed addendum substantivum fuisse ut *diem*, *tempus*, *spiritum etc.* cum autem substantivum *diem* in omnibus pene libris habeamus, quid caussae est cur id repudiandum censeamus?

Ibidem. *Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis, quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta toga ponerentur.* vel hoc uno loco demonstrari poterit quantum positum sit in diligenti atque accurato usu casuum, si quis recte volt ac Latine, quae cogitet, expli-

care, nam pro eo, quod nostri homines, qui putant se esse ipsos Tullios, scribunt: *atque ad has res comprobandas tamquam exemplum attulit quasdam ineuntis aetatis similitudines,* Cicero dixit, cum sentiret quae res essent certae, eorum etiam exemplum certum esse, per elegantem casuum brevitatem: *atque earum rerum exemplum,* i. e. exemplum, quo eae res probentur, *ex similitudine capiebat ineuntis aetatis* i. e. sumpsit ex ea similitudine, quae solet conspici in ineunte aetate. quod autem pro *una cum praetexta ponerentur* scribendum putavi: *una cum praetexta toga ponerentur,* id factum est ex optimorum librorum auctoritate, velut Erfurtensis, Vindob. II. Gud. 335. (Guelpherb.), in quo tamen vocabulo *toga* superscriptum est *assumpta,* septem librorum Manuti, aliorumque, qui etsi varia ac multa glossemata receperunt, tamen pene omnes uno consensu verbum *toga* servant; nullus autem codex eorum, qui accurate collati sunt, cognitus est istud nomen prorsus omittere. ut igitur non negamus potuisse verbum *togae* ex grammaticorum glossemate adiici, ita vix credibile est esse illud in omnibus libris ascriptum, nisi profectum esset ab ipso Tullio. quod eo debet probabilius esse, quod ab eo potius dictum est *toga praetexta,* quam simpliciter *praetexta,* quamquam posteriores scriptores *praetextam* plerumque pro *toga praetexta* dixerunt. namque ut taceam *Accus. in C. Verrem* lib. V. c. 19. §. 36. *ob earum rerum laborem et sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae.* et orat. *pro P. Sestio* c. 69. §. 144. *cui superior annus idem et virilem patris et praetextam populi iudicio togam dederit,* quibus in locis facile apparet caussa, cur nomen *togae* adscriptum sit: hos igitur ut taceam locos, etiam in ceteris locis, ubi nulla eius modi caussa potest subesse, *toga praetexta* scriptum est. conf. *in Verr.* lib. V. c. 44. §. 113. *eripies igitur pupillo togam praetextam? detrahes ornamenta non solum fortunae, sed etiam genuitatis.* eiusdem libri c. 58. §. 152. *neque te tam movebat, quod cum toga praetexta, quam quod sine bulla venerat.* Adde *epistol. ad fam.* lib. II. ep. 16. §. 7. ed. Orell. *togam praetextam texi Oppio puto te audisse.* at, inquis, si et libri omnes et Tulli consuetudo tuentur *togam praetextam,* qui factum est, ut glossemata illa absurda quidem reciperentur, qualia sunt *una cum praetexta assumpta* (*sumpta*) *toga.* ne hoc quidem difficile est ad explicandum. etenim non recte ceperunt librarii hunc locum, quod coniungenda verba *cum praetexta toga* non arbitrarentur, sed *praetextam* per se dici putarent, *togam* autem inter-

pretarentur esse *togam virilem* ducti loco c. 1. §. 1. *ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam sumpta virili toga, ut quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem.* hinc factum est, ut verba *cum praetexta* recte quidem intelligerent, ad vocem *toga* autem *assumpta, sumpta* et similia falso ascriberent, eaque de *sumpta toga virili* dicta existimarent. at hoc supervacaneum erat addere, nam cum puer pubescens patris auctoritate deponeret togam praetextam, necesse erat ab eo sumi virilem, ne omnino veste careret. hinc pene cogitur, ut togae nomen revocemus, quod si ab ipso scriptore omissum esset, non data esset occasio ad ista supplementa. illud vero quod est in quibusdam libris *deponerentur* pro *ponerentur* dubitari nullo pacto potest quin sit ex mero glossemate ortum, saepe Romani *ponere* simpliciter dixerunt, ubi nostrates exspectant verbum compositum, conf. *Tusc. disputt.* lib. V. c. 20. §. 60. *atque is cum pila ludere vellet — studiose enim id factitabat — tunicamque poneret, adolescentulo, quem amabat, tradidisse gladium dicitur.*

Ibidem. §. 34. *pestem enim nullam maiorem esse amicitiis, quam in plerisque pecuniae cupiditatem, in optimis quibusque honoris certamen et gloriae.* hic primum pro volgato *maiorem esse nullam* scriptum est *nullam maiorem esse* auctoritate optimorum librorum, velut Erf., Bern., Vindob. II., cod. Aug. I., Aug. II., Gud. (Guelpherb.) aliorumque, qui accurate collati sunt. deinde praepositionem *in* ante *amicitiis* delendam putavi, quae cum in optimis libris non appareret, eo tutius poterat abiici, quo saepius eam videmus a librariis adiectam sine ulla caussa idonea. particulam non habent libri Basileensis, Erfurtensis, Vindob. II., Gud., Aug. I., Gotting., Oxonienses omnes aliique libri apud Beierum et Gernhardum. quod autem Orellius huc vocavit c. 25. §. 91. *ut igitur monere et moneri proprium est verae amicitiae et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum est nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem.*, quo in loco et librorum auctoritas tuetur particulam et sententiae ratio requirit, ille tamen locus longe diversus ab eo, quo de nunc agimus. ibi enim agitur de iis rebus, quae in amicitiis iam constitutis et confirmatis declinandae sint, ideoque recte atque ordine scriptum est: *nullam in amicitiis pestem esse maiorem etc.*, quoniam amicitiae iam assunt, et in his aliquid vitiosum esse dicitur. hoc autem loco, ubi praepositio sine librorum testimonio a novissimis editoribus recepta est, longe

alia subest sententia. hic enim non quaeritur, quid si amicitiae iunctae sint, in eis vitiosum esse videatur, sed quid omnino noceat amicitiis et iungendis et servandis; itaque hoc loco non poterat dici *pestem enim nullam maiorem esse in amicitiis* (*in der Freundschaft*), sed scribendum erat: *pestem enim nullam maiorem esse amicitiis* (*für die Freundschaft*). quod cum ita sit, ille locus quem attulit Orellius cum Gernhardo, nihil ad reiiciendam optimorum librorum scripturam facit probatque non tam exemplis artis criticae praecepta confirmanda esse, quam ratione ac liberali iudicio.

Ibid. §. 35. *Magna etiam discidia et plerumque iusta nasci, cum aliquid quod rectum non esset postularetur, ut aut lubidinis ministri aut adiutores essent ad iniuriam.* quod hoc loco particulam *etiam* relinquendam putavi, etsi plures nec ii mali libri pro ea *enim* exhiberent, iam video iudicium meum confirmatum egregio libro Gudiano, qui est saeculi decimi, ut videtur. neque enim sententia ferebat, ut haec a superioribus per particulam illam suspenderentur, imo novum quiddam accedit, quod recte particula *enim* annectitur. deinde pro *dissidia* scriptum est *discidia* ex Erfurtensi, Vindob. II. Gudiano, Aug. I., Aug. II. aliisque libris. haec enim optimorum librorum auctoritas cum sententia ipsa egregie consentit. est autem magnum discrimen dicasne *dissidium* an *discidium*; dissidium enim potius de sententiae discrepantia videtur usurpari, discidium ipsam amicorum disiunctionem significat, quae sententia etiam his verbis subiecta sit pene necesse est. neque enim agitur hic de opinionis discrepantia, sed de amicitiis solvendis. cum vero haec verba eisdem pene litteris scribantur frequenterque confusa sint, saepe difficile indicatu est, quae forma quoque loco recipienda sit. quam ob caussam qui mihi in Tulli scriptis inventi sunt loci, ubi haec nomina leguntur, afferam. ac primum quidem *discidium* recte scriptum videtur e codice Vaticano in orat. *Philipp.* II. c. 18. §. 45. *ipse autem amore ardens confirmabat, quod desiderium tui discidi ferre non posset, se in exsilium iturum.*, ubi volgares editiones ante Muretum *dissidii* exhibebant. sic recte in *epistol. ad Atticum* lib. IV. ep. 1. §. 1. ex margine libri Medicei scriptum est: *eundemque te* (*cognoram*) — *acerbissime discidium nostrum tulisse plurimumque operae, studi, diligentiae, laboris ad conficiendum reditum meum contulisse.*, etsi Mediceus ipse *dissidium* vitio scriptum habet. ibid. lib. XV. *ep.* 29. §. 2. *ait hic sibi Iuliam ferre, constitutum enim esse discidium*, ubi Mediceus recte *discidium* tuetur. *pro A. Cluentio* c. 67. §. 190. *ita quod apud ceteros, novis inter*

propinquos susceptis inimicitiis, saepe fieri divortia atque affinitatum discidia vidimus., ubi et libri et editiones praestantiores *discidia* tuentur, deteriores *dissidia* habent. in oratione, quae est *pro M. Caelio* c. 13. §. 31. recte scribitur: *magnum rursus odium video cum crudelissimo discidio exstitisse.* orat. *pro P. Sulla* c. 21. §. 60. *disiunxit, inquit, eos a colonis, ut hoc discidio et dissensione facta oppidum in sua potestate posset et Pompeianos habere. Academic. posterior.* lib. I. c. 12. §. 43. *Tum Varro: tuae nunc sunt partes, inquit, qui ab antiquorum ratione deciscis et ea, quae ab Arcesila novata sunt, probas, docere quod et qua de caussa discidium factum sit: ut videamus satisne ista sit iusta defectio,* ubi non potest non scribi *discidium.* lib. *de orat.* III. c. 16. §. 61. *hinc discidium illud exstitit quasi linguae et cordis absurdum sane et inutile et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent.* contra *dissidium* videtur rectius scribi in his locis, *epistol. ad Attic.* lib. I. ep. 17. §. 7. *ut quod una non estis, non dissensione ac dissidio vestro, sed voluntate ac iudicio tuo factum esse videatur.* orat. *pro L. Corn. Balbo* c. 13. §. 30. *defendo enim rem universam, nullam esse gentem ex omni regione terrarum neque tam dissidentem a populo Romano odio quodam atque dissidio neque tam fide benevolentiaque coniunctam, ex qua nobis interdictum sit, ut ne quem asciscere civem aut civitate donare possimus.* lib. *de finibus* I. c. 13. §. 44. *ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur.*, quamquam hoc loco scribi possit etiam *discidia,* primum enim nascitur *odium,* quod exsistit ex ira, deinde *discidium,* ut quod iratus cum amico rixatus sis, ab eius consuetudine discedas, quae disiunctio si est longinquior, *discordiae* nascuntur, ut alter alteri studeat nocere, hinc *seditiones, bella* denique. *de amic.* c. 7. §. 23. *quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis et dissidiis funditus possit everti?* ubi *dissidia* relinquendum putavi, etsi etiam illo loco libri quidam *discidia* scriptum habent, ut Vindob. II., Gudianus, Augustanus I., Augustanus II., alii apud Beierum et Gernhardum, quamquam Orellius nullam scripturae diversitatem annotavit. c. autem 21. §. 78. scribendum duxi: *quam ob rem primum danda opera est, ne qua amicorum discidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut exstinctae potius amicitiae quam oppressae esse videantur.*, ubi non solum propter optimorum librorum auctoritatem, verum etiam propter ipsam eius loci sententiam *discidia* erat necessario recipiendum. non enim

dissensiones amicorum, sed disiunctiones commemorantur. libri autem pene omnes *discidia* tuentur, ut Erfurt., Bern., Basil. Vindob. II., Aug. I., Aug. II., Gudianus, alii apud Beierum et Gernhardum.

Ibidem. *Haec, itaque multa quasi fata impendere amicitiis etc.* Etsi quod ego ex libris Vindob. I., Vindob. II., Bernensi aliisque edendum putavi *haec, itaque multa* pro volgato *haec ita multa* defendi queat, tamen optimorum librorum una consensio flagitat ut hanc scripturam iam reiiciendam putemus. Ea autem verba quae sequuntur: *ut omnia subterfugere non modo sapientiae, sed etiam felicitatis diceret sibi videri.*, recte iam C. Beierus interpretatus est in hunc modum: „*diceret sibi videri*, i. e. *ipsi videretur, ut dicebat.* Huius attractionis exempla sunt II. *orat*, c. 45. pr. *Haec sunt illa, quae me ludens Crassus modo flagitabat, quae a me divinitus tractari solere diceret*: ubi tamen recentiores edd. praetulerunt lectionem *quum ea a me etc.* 62, 253. (*absentem*) *excusavit* —, *quod eum brachium fregisse diceret* 70, 284. *quom* — *premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore* — *eius depasci agros publicos dicerent.* I. *ad Attic.* ep. I. sect. 3. pr. *agere coepit cum eius fratre Caninio Satrio de is rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret.* I. de divin. c. 16, 29. *Appius civem egregium censor C. Atteium notavit, quod ementitum auspicia subscriberet*, ubi volgo substituitur *subscripserit.* Tibull. II. 5, 19. V. annot. ad Ascon. *in Cic. Or. pro Scauro* I. 1. b. ibidemq. *addenda* p. 130. nostrae ed. Ramshornii *Gramm. lat.* §. 195. 6. p. 624 sq.; sed non huc pertinent loca ibi allata [loci ibi allati] praeter Cic. *fin.* I. 2. et 7. *ad fam.* VII. *ep.* 16. IV. *ep.* 12. *Phil.* II. 4. Reliquorum alia ratio est." —

Cap. XI. §. 36. *numne si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuerunt?* *numne* scripsimus pro volgato *num* ex optimis libris, velut ex Erfurtensi, Vindob. II., Oxoniensibus quattuor, Vimar., Gothano aliisque libris, qui *nonne*, quod ad hunc locum aptum quidem non est, sed tamen ducit ad veram scripturam, exhibuerunt. nunc video emendationem nostram confirmari etiam libro Gudiano, in quo scriptum est: *Nū‿ne*, ex eoque compendio in volgares libros emanavit *nonne*, quod habet Aug. I. et Gottingensis, Augustanus II. ipse quoque recte istud habet *Nūne.* Sic librorum auctoritas requirit, ut *numne* a Tullio profectum existimemus; estque haec particula fere semper ab librariis vitio scripta etiam in aliis Tulli locis, quos ut et

hunc locum defendam et particulas *numne*, quas erant qui prorsus damnatas vellent, tuear, hic afferam. ac primum quidem recte ex Schotti libro cum Davisio in *Tusculan. Disputt.* I. c. 32. §. 77. edidit Orellius, id quod etiam Bentleio probatum erat: *numne vis igitur audire, cur, etiam si ita sit, mors tamen non sit in malis?* pro volgata scriptura *num vis igitur etc. numne* etiam Reg. Paris. et liber Bentlei antiquissimus tuentur, in quibus scriptum est *num non vis*, quod facilius ex *num ne vis* quam ex *num vis* potuit oriri. lib. *de natura deor.* I. c. 31. §. 88. *ne sit igitur sol, ne luna, ne stellae, quoniam nihil esse potest, nisi quod attigimus aut vidimus. quid? deum ipsum numne vidisti?*, ubi Heindorfius cum alia novavit tum pro *numne* ex librorum vestigiis *minime* scribi voluit, cuius tamen suspicio iure repudiata ab Orellio est. etiam lib. *de re publica* VI. c. 17. (*Somn.* c. 4. §. 17.) potius scribendum existimo: *quam cum magis intuerer: quaeso, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? numne aspicis, quae in templa veneris,* quam quod probavit Orellius *nonne aspicis etc.* facilius enim poterat *numne* in *nonne* depravari quam illud contra. praeterea afferunt ex Plauti *Truculento* act. II. scen. 6. v. 65. *numne vis me, voluptas me, quo vocatus sum, ire ad coenam.*

Ibidem. §. 37. *tum ego: Etiamne, si te in Capitolium faces ferre vellet? „Numquam, inquit, voluisset id quidem: sed si voluisset, paruissem."* Etiam in hoc loco constituendo novissimi critici non recte versati esse videntur. ac primum quidem volgo post *etiamne* interpositum est *inquam*, quod etsi omisit C. Beierus, tamen tutatus est Orellius criticus ceterarum rerum egregius. sed neque a librorum auctoritate neque ab huius loci sententia ullo modo ea vox defenditur. libri optimi et plurimi, Erfurtensis, Vindob. I., Vindob. II., Haenelianus, Gudianus, Augustanus I., omnes denique Beieri libri *inquam* omittunt. sententia autem iam propter verba, quae praecedunt, *tum ego* quem ad modum accipienda sit, non potest obscurum esse. quod autem Beierus etiam in ea voce quae sequitur, *inquit* omitti voluit, id neque librorum testimonio neque sententiae ratione defenditur. ibi enim pene necesse fuit adiici *inquit*, ut uter loqueretur appareret. altera et ea difficilior quaestio est de iis verbis quae sequuntur: *numquam, inquit, voluisset id quidem: sed si voluisset, paruissem*, quae cum volgo hoc modo ecferentur: *Numquam, inquit, voluisset id quidem. Sed si voluisset? Paruissem.*, ita ut verba: *sed si voluisset*, Laelio tribuerentur, Blossio vox *Paruissem*, recte a volgata scriptura

recedendum putavit Gernhardus, cum diceret Tullium, si ista verba diversis personis tribui vellet, neque verborum collocationem hanc: *numquam voluisset id quidem* instituturum et pro *sed si voluisset?* scripturum fuisse *at si voluisset?* denique atrociorem videri Blossium continua oratione quam distributa; quae argumenta vera sunt omnia. ac si Beierus dicit stultum profecto fuisse Blossium, si Laelio non instante ita locutus esset, id ipsum voluit Tullius monstrare illum si non stultum, at certe amentem aut nefarium fuisse; quam ob caussam statim adiecit: *Videtis quam nefaria vox!* et deinde: *itaque hac amentia*, inquit, *quaestione nova perterritus in Asiam profugit.* Postremo quod critici Plutarchum huc vocarunt in *vita Ti. Gracchi* c. 20. p. 834. ed. Francof. εἰπόντος δὲ τοῦ Νασικᾶ πρὸς αὐτόν· „τί οὖν, εἴ σε Τιβέριος ἐκέλευσεν ἐκπρῆσαι τὸ καπιτώλιον;" τὸ μὲν πρῶτον ἀντέλεγεν, ὡς οὐκ ἂν τοῦτο Τιβερίου κελεύσαντος, πολλάκις δὲ καὶ πολλῶν τὸ αὐτὸ πυνθανομένων· „ἀλλ' ἐκείνου γε προστάσσοντος," ἔφη, „καλῶς κἀμοὶ τοῦτο πρᾶξαι εἶχεν· οὐ γὰρ ἂν Τιβέριος τοῦτο προσέταξεν, εἰ μὴ τῷ δήμῳ συνέφερεν.," et Valerium Maximum *dict. factorumque memorabil.* lib. IV. c. 1., qui eodem modo rem factam narrat, hi loci nullo modo probant Tullium aliter illa verba accipi voluisse, apud quem Laelius non tam quem ad modum illa res facta sit enarrare volt, quam breviter quousque audaciae multi amicos secuti in re nefaria processerint indicare; itaque quod Blossius revera dixit, narravit, sed tamen non ita, ut hoc Blossio Laelio ceterisque instantibus excidisse videretur, quo argumentationem ipse suam eluisset.

Ibidem. *Et hercule ita fecit vel plus etiam quam dixit: non paruit enim ille Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit etc.* Pro *hercle* scripsimus *hercule* ex libris iis, penes quos his in rebus arbitrium est, Erfurtensi, Gudiano, Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Gottingensi aliisque. deinde autem quod edidi ex libro Erfurtensi: *non paruit enim*, etsi per se optime ita ecferri potuerunt haec verba, cum ceteris libris ea verborum collocatio non confirmetur, iam in volgata scriptura acquiescam.

Ibid. §. 39. *tum et cum iis et inter se coniunctissimos fuisse M'. Curium Ti. Coruncanium memoriae proditum est.* hoc loco inter *M'. Curium* et *Ti. Coruncanium* particulam copulativam cum libris optimis et C. Beiero omisi. omittunt particulam Erfurtensis, Basil., Bern., Gudianus, Gottingensis, August. II., Vindob. I., Haenel., multi denique Beieri libri. saepe autem Romani etiam duo nomina sine particula con-

iunxerunt, conf. infra haec verba: *at vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo C. Cato, et minime tunc quidem Caius frater: nunc idem acerrimus*, ubi quae sequitur particula *et* ad verbum spectat, non ad nomina.

Ibidem. *Igitur ne suspicari quidem possumus quemquam horum ab amico quidpiam contendisse, quod contra fidem, contra ius iurandum, contra rem publicam esset.* hoc loco Beierus pro *quidpiam* ex coniectura sua *quicquam* scripsit eiusque rationem probabilem existimat Orellius. equidem et olim in *praef. Laeli edit. Büchlingianae tertiae* illam coniecturam improbandam putavi et nunc idem pronuncio, etsi *quidquam* in libro Haeneliano scriptum inveni, qui tamen neque vetustate neque bonitate comparari potest cum libris melioribus. at negant homines docti his in locis, ubi praecesserit negatio, locum habere pronomen *quispiam*, uti Heindorfius ad Cic. lib. *de natura deor.* III., c. 4. §. 11. p. 290., Müllerus ad lib. Cic. *de orat.* I, c. 1. §. 4., Beierus ad hunc locum, Orellius denique, qui in omnibus eius modi locis *quispiam* pronomen mutandum existimavit. horum virorum doctissimorum opinioni non solum ipsa huius pronominis ratio ac significatio repugnat, verum etiam loci optimorum scriptorum multi. ac primum quidem pronomen *quispiam* ita videtur usurpari, ut significet singulare quoddam ex quodam genere pro exemplo afferri, quod nos dicamus: *der oder jener, das oder jenes*, ita ut non tam qualis ille sit quaeramus, quam esse quendam ponamus. hanc ob caussam necesse erat hoc pronomen quibusdam locis etiam cum negatione sive aperta sive tecta coniungi. cf. lib. *ad Herenn.* I. c. 11. §. 20. *ex contrariis legibus controversia constat, cum alia lex iubet aut permittit, alia vetat quidpiam fieri.*, ubi si dixisset scriptor *quidquam*, omnis sententia deperiret. neque enim volt, ut nihil fiat, *dass nichts geschehen soll*, verum ut certum quoddam, quod pro exemplo sumitur, ne fiat: *dass ein bestimmtes Etwas nicht geschähe.* lib. II. c. 7. §. 11. *contra argumenta et signa et ceteras suspiciones dicimus hoc modo: si — unam quamque suspicionem extenuabimus, et dabimus operam, ut ostendamus nihilo magis in nos eam quam in alium quempiam convenire.*, ubi quoniam in ipsa actione pro pronomine *quempiam* certum personae nomen ponendum est, non potuit *quemquam* scribi. eiusdem libri c. 8. §. 12. *si dicemus caussam non fuisse quare quispiam contingeret et comminisceretur etc.*, ubi eadem ratio est huius pronominis. lib. II. c. 27. §. 43. *considerandum est, ne aut ad rem addatur quid aut quidpiam de re detrahatur aut tota caussa mutata in aliam caussam deri-*

vetur., ubi itidem pronomen *quidquam* falsam sententiam efficeret. Ibid. §. 44. *item vitiosum est artem aut scientiam aut studium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui in eo studio sunt.* denique lib. IV. c. 30. §. 41. *tu ista nunc audes dicere, qui nuper alienae domi ... non ausim dicere, ne cum te digna dixero, me indignum quidpiam dixisse videar.*, quo in loco pronomen *quidquam* nullo pacto locum habere poterit. Neque vero quisquam his in locis offendit criticus, senserunt enim facile his locis pronomen istud a particula negativa esse ita discernendum, ut hoc per se stet, negationem autem ad totam tantum sententiam, non ad omnis eius partis pertinere. id optime intelligimus ex alio Ciceronis loco, qui est in orat., quae est *pro P. Quintio* c. 4. §. 15. *quo mortuo nec ita multo post in Galliam proficiscitur Quintius. ibi cum isto Naevio familiariter vivit. annum fere una sunt, cum et de societate inter se multa communicarent et de tota illa ratione et re Gallicana: neque interea verbum ullum interposuit Naevius aut societatem sibi quidpiam debere aut privatim Quintium debuisse.*, ubi apparet *quidpiam* non esse per sese cum ipsa negatione coniungendum. eadem ratio est eius loci, qui legitur in *act.* II. *in Verrem*, lib. III. c. 31. §. 74. *animadvertistis, iudices, Apollodorum lacrimantem testari ac dicere, numquam post populi Romani nomen ab Siculis auditum et cognitum Agyrinensis contra quemquam infirmum civem Romanum dixisse aut fecisse quidpiam, qui nunc contra praetorem etc.*, ubi libri uno consensu omnes *quidpiam* tuentur et pronomen *quidpiam* tutatus etiam Zumptius est ad *act. II. in Verr.* lib. I. c. 10. §. 29. *nego esse quidquam a testibus dictum, quod aut vestrum cuipiam esset obscurum aut cuiusquam oratoris eloquentiam quaereret.* cf. Zumpt. vol. I. p. 112. *pro P. Sulla* c. 14. §. 41. *vidi ego hoc iudices, nisi recenti memoria senatus auctoritatem huius indicii monumentis publicis testatus essem, fore, ut aliquando non Torquatus neque Torquati quispiam similis — nam id me multum fefellit —, sed ut aliquis patrimonio naufragus — aliter iudicata haec diceret etc.*, ubi C. Beierus *de officiis* vol. I. p. 237. scribendum existimat *quisquam*, pronomen *quispiam* non solum libri omnes tuentur, verum etiam locus simillimus Pompei Trogi apud Iustin. lib. XXXVIII. c. 7. *quarum gentium nullam neque Alexander ille, qui totam pacavit Asiam nec quispiam successorum eius aut posterorum attigisset etc.* Pro *P. Sulla* c. 30. §. 84. *ego vero, iudices, non modo nihil mihi assumo, in quo quispiam repugnet, sed etiam si quid ab omnibus conceditur, id reddo ac remitto.*,

ubi scribi nullo pacto potuit: *in quo quisquam repugnet. in Pison.* c. 23. §. 55. *quasi vero id aut ego scire debuerim, vestrum quispiam audierit, aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne triumphali*, ubi etsi liber Vaticanus optimus scriptum habet *quisquam*, ceteri tamen libri *quispiam* defendunt, quod falsum quidem non est. *Philipp.* I. c. 11. §. 27. *collegam tuum aiunt in hac sua fortuna, quae bona ipsi videtur, mihi ne gravius quidpiam dicam, avorum et avunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior videretur: sed eum iracundum audio esse factum.*, ubi inepta esset sententia, si scriberetur: *ne gravius quidquam dicam.* huc pertinet *ep. ad Quint. fratr.* lib. III. ep. V. §. 2. ed. Orell. *ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam.* cf. denique *de finib.* lib. IV. c. 16. §. 46. *quodque dicitis informari non posse virtutem, si quidpiam, nisi quod honestum sit, numeretur, idem dicetur ab illis, quos modo nominavi. de legg.* lib. III. c. 8. §. 18. *iam illud est apertum profecto nihil esse turpius quam quempiam legari, nisi rei publicae caussa.* de legg. lib. I. c. 22. §. 58, *cuius praecepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur.* reliquos Tulli locos, ubi pronomen *quispiam* post negationem positum aut non magna aut plane nulla librorum auctoritate defenditur, omitto, velut lib. *epistol. ad fam.* III. ep. 10. §. 15. ed. Kort. orat. *pro Cn. Plancio* c. 25. §. 63. *Academ.* lib. II. c. 9. §. 27. lib. *de offic.* III. c. 5. §. 26. lib. *de orat.* I. c. 1. §. 4. Paradox. IV. c. I. §. 29.

Ibidem. *At vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo C. Cato et minime tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus.* de huius loci ratione multum dubitatum est, et quamquam de recepta scriptura vix ulla potest moveri dubitatio, tamen etiam nunc in explicando hoc loco quaedam difficultas relicta esse videtur. ultima enim verba: *nunc idem acerrimus*, ab aliis aliter accepta sunt, nobis quidem iam videntur magis discernenda esse a reliquis verbis, ut sententia haec sit: *nunc idem est acerrimus*, itaque totum locum nunc ita distinguendum existimo: *at vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo C. Cato, et minime tunc quidem Caius frater: nunc idem acerrimus.* sic apparebit hoc dici: *Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo et C. Cato, ac nullo modo eo quidem tempore Caius frater: nostro vero tempore idem acerrimus hac in re est.* quae ratio et cum artis grammaticae praeceptis et cum historiae testimonio optime convenit, illud autem quod quidam existimaverunt ad *minime*

cogitatione ex sequenti *acerrimus* assumendum esse *acer* et historiae fidei et rationi grammaticae et omni sensui humano vehementer repugnat.

Cap. XII. §. 40. *deflexit iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum.* hoc loco quod Beierus atque Orellius optimorum librorum auctoritate abiecerunt particulam *enim* post *deflexit*, id summo iure factum est atque etiam praestantissimi libri nostri eorum sententiam confirmant. particulam *enim* saepe esse ex glossemate adiectam supra docuimus ad c. III. §. 10. p. 102. *nihil mali accidisse Scipioni puto, mihi accidit, si quid accidit.*, ubi etiam libri Gudianus et Augustanus II. particulam *enim* post *nihil* omittunt, Gottingensis autem habet a secunda manu adiectam. deinde pro *aliquantulum* Orellius nulla librorum auctoritate legendum esse suspicatus erat *aliquantum,* quam scripturam etsi in libris Vindob. I. et Haenel. inveneram, non tamen recipiendam arbitratus sum, et ne nunc quidem eam probandam existimo, cum cognoverim *aliquantum* etiam in libro Gudiano esse scriptum. praeter enim quam quod ceteri libri etiam praestantiores in illa scriptura consentiunt omnes, illud etiam obscurum non est facili errore, cum compendio in ultimis huius verbi syllabis usi essent librarii, potuisse *aliquantulum* depravari in *aliquantum.* de sententia autem ita existimandum esse arbitror, ut volgata scriptura non solum idem dici, verum etiam gravius quiddam declarari putemus. etenim si scribitur: *deflexit iam aliquantum de spatio curriculoque consuetudo maiorum,* nihil aliud dicitur nisi *magnam iam factam esse mutationem morum atque consuetudinis:* at si scribimus: *deflexit iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum,* cum acerba quadam ironia idem dicitur: *est iam aliqua, etsi haec minima putatur, facta mutatio,* nos eodem modo dicamus: *es ist ihm ein Wenig, ein Bisschen schlechter geworden.* contra in orat. *pro P. Quintio* c. 4. §. 15, videtur ex antiquis editionibus et plerisque libris mss. scribendum esse: *cum aeris alieni aliquantum esset relictum etc.*, quo de loco suo tempore explicabo.

Ibid. §. 41. *Videtis in tabella iam ante quanta sit facta labes.* Iam supra ad c. 1. §. 2. p. 89 sq. ostendimus Romanos fere solitos esse coniunctivum verbi *esse* statim post haec pronomina relativa adiungere, quam ob caussam cum hoc loco libri omnes, quos novi, omnesque, quas inspexi, editiones exhibeant *quanta sit facta labes,* non video cur Orellius ediderit *quanta facta sit labes*, nisi forte hoc factum est

properantis librari negligentia, quod etiam inde colligi potest quod Orellius nullam scripturae diversitatem notavit.

Ibid. §. 42. *praecipiendum est igitur bonis, ut si in huius modi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment ita se alligatos, ut ab amicis in [magna aliqua] re publica peccantibus non discedant.* hoc loco invito me duae res factae sunt, ac primum quidem *huius modi* pro *eius modi* scriptum est, quod etsi est in quibusdam libris, uti in Vindob. II. aliisque Beieri, non tamen propter ceterorum librorum unum consensum potest probari. deinde in loco admodum ambiguo receptum in orationem video, quod ego in usum meum notaveram, *in [magna aliqua] re publica.* nam etsi vix verisimile est, eam scripturam, quae est recepta a novissimis criticis: *in re publica peccantibus,* esse a Ciceronis manu profectam, tamen malebam ego volgatam scripturam relinquere quam novando audacior videri. illa autem volgata scriptura ob eam caussam non videtur antiqua esse, quod libri in alia omnia hoc loco abeunt, quorum discrepantias cum cognoverimus, iam facilius poterimus de hoc loco iudicare. libri igitur Vindobonenses duo, Erfurtensis, Basileensis, Haenelianus, Gudianus, Augustanus I., Gottingensis, alii habent *in magnam aliquam rem publicam peccantibus,* alii *in magnam aliquam rem peccantibus*, alii aliud, pauci autem aut plane nullus liber videtur tueri volgatam scripturam. quapropter suspicatus eram scribendum esse: *in magna aliqua re publica peccantibus,* ubi esset *res publica* non ipsa civitas, sed res quae pertineret ad civitatem, quem ad modum saepe alias locutus est Tullius, omnis autem sententia hoc diceret: *die in einer wichtigen Staatsangelegenheit sich etwas zu Schulden kommen lassen.* Fortasse etiam possit scribi: *in magna aliqua re in re publica peccantibus*; aut: *in magna aliqua in re publica re peccantibus,* certe Tullius *in maximis in re publica rebus labi* et similia etiam alias scripsit. illud autem certum atque exploratum videtur esse, quae volgo nunc recepta est scriptura, *in re publica peccantibus* propter ipsam librorum auctoritatem veram esse non posse.

Ibidem. *qui cum imperator bello Persico servitute Graeciam liberasset propterque invidiam in exsilium expulsus esset etc.* hoc loco videre possumus quanta levitate interdum critici in constituendis verbis utantur. nam cum in libris praestantissimis uno consensu scriberetur: *propterque invidiam in exsilium expulsus esset,* quod tuentur etiam Bernensis, Basileensis, Erfurtensis, Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Gudianus, August. I., Aug. II., Gottingensis, qui libri maxima

saepe ita locutus est Tullius, cf. supra c. V. §. 18. *neque id ad vivum reseco, ut illi qui haec subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum.* et *Bruti* c. 11. §. 42. *quoniam quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius.* et tamen, si et ceteri libri quod habent consideramus et totam huius loci rationem, possit etiam de hac, quae a me recepta est scriptura dubitari. ac primum quidem libri et multi et non mali pro *argutius* habent *argutiis*, velut Gudianus, in quo tamen ab altera manu effectum *argumentis* est, Bernensis, Gottingensis, in quo ipso quoque ascriptum *argumentis* est; Haenel., Oxon. E., alii habent *argumentis*, ut Vindob. II., Aug. II. a pr. man., reliqui aut *suis argumentis*, ut Oxonienses quinque, Vindob. I., aut *suis argutiis*, ut Oxon. quattuor. hinc efficitur in libris multis pro *argutius* scriptum esse *argutiis*, quod postea in *argumentis* glossemate mutatum est. illud enim dubitari nullo modo potest quin *argutiis* antiquius sit quam *argumentis*. quod autem in multis libris ante *argutiis* aut *argumentis* scriptum *suis* est, id etsi saepius hoc pronomen iniuria omissum esse scimus, cf. *Emendatt. Tullian.* p. 20 sq., tamen hoc loco nullo pacto potest probari, nam et deteriores illi libri sunt neque loco suo positum pronomen est, quod erat post *argutiis* hoc loco collocandum. quae cum ita sint, nihil reliquum est nisi ut de scriptura *argutius* atque *argutiis* iudicemus. atque illud quidem iam supra significavi *argutius* quo sese defendat multum habere, nam et saepe sic comparativus a Tullio usurpatus est et iustam Graeculorum reprehensionem continet. huc accedit quod facile potuit *argutius*, quod aut non recte intelligeretur a librariis aut falso legeretur, cum non solerent veteres *i* litteram punctis notare, depravari in *argutiis*, quod cum semel exstitisset, et *suis* adiectum ex glossemate est et *argumentis* ab aliis ascriptum, ab aliis pro eo receptum. id vero etiam non possumus negare non ineptam fore sententiam, si scribamus: *sed nihil est quod illi non persequantur argutiis*, nam quem ad modum Cic. lib. *de divin.* II. c. 6. §. 17. *ab iis*, inquit, *qui siderum motus numeris persequuntur*, ita potuit etiam dici: *quod illi nos persequantur argutiis.* attamen etiam sic comparativus praestare videtur, conf. denique Cic. lib. *de orat.* II. c. 43. §. 182. *si quid persequare acrius, ut invitus et coactus facere videare.*

Ibidem. *satis superque esse sibi suarum cuique rerum.* sic ex libris tantum non omnibus et antiquis editionibus edendum putavi, etsi novissimi critici uno consensu omnes pronomen *sibi* omittendum censuerunt, quod omissum est in libro

Erfurtensi et in deterioribus quibusdam libris, iniuria. nam ceteri libri omnes, etiam Gudianus, Vindob. II., Bernensis, Basileensis, ut taceam volgaris libros, habent *sibi*. quod ita aptum ad hunc locum erit, si primum huius sententiae quasi fundamentum dicamus esse: *satis superque esse sibi rerum*, illa autem verba *suarum cuique* tamquam novam eius sententiae notionem interiectam, quae verba ita tamen cum omni sententia coaluerunt, ut haec quasi una constructio procedat: *satis superque esse sibi suarum cuique rerum*, pronomen enim *quisque* ad *suarum* tantum pertinet. sic Ernesti vanam apparet esse dubitationem, qui negavit *sibi* hoc loco adiectum consentire Latinitati. quod autem Gernhardus: *Latine*, inquit, *diceretur sibi suarum cuique, si isti viri ad se sententiam referrent: cum autem omnibus praecipiunt, sibi delendum est*, id dixit subtilius atque argutius. nam vel maxime est talium philosophorum profitendo, quid ipsi sequantur in vita, alios docere atque ad easdem rationes alios exemplo suo deducere. qua re etsi scribimus *sibi suarum cuique*, tamen dubitare non possumus quin etiam ita communia haec sint praecepta atque ad omnis homines pertineant. illud autem recte indicavit Gernhardus *curam*, quod volgo post *rerum* adiectum erat, omittendum esse, genitivum istum pendere ab adverbio *satis*, quod autem attulit quosdam Tulli locos, in quibus *satis* videmus esse cum genitivo coniunctum, nihil aliud probavit nisi quod notum est omnibus. hoc autem loco debebat afferre locos, ubi *satis superque* essent cum genitivo coniuncta. quod recte fecit Goerenzius laudando Liv. *histor*. lib. XXV. c. 32. *spes erat satis superque ad id virium esse*. huc adde Liv. lib. II. c. 42. med. *satis superque grati furoris*. Horat. *epod*. XVII. v. 19. *dedi satis superque poenarum tibi etc.* quibus in locis apparet ista adverbia pro substantivis esse, quod contra est, si *satis*, *satis superque* cum nominativo iuncta sunt, conf. Catulli carm. VII. v. 1.

quaeris quot mihi basiationes
tuae, Lesbia, sint satis superque.

quod falsum non est, etsi multis in locis turbas fecit. conf. Liv. *histor*. lib. VI. c. 18. *vobis semper auxilium adversus inimicos satis est.*, quod non est: *euch ist genug Hilfe gegen eure Feinde*, sed: *Hilfe gegen eure Feinde ist euch in hinlänglichem Maasse.*' cf. Goerenz. ad Cic. lib. *de fin*. II. c. 26. §. 84. p. 248. *satis est tibi in te, satis in legibus, satis in mediocribus amicitiis praesidium*, qui laudat *epistol. ad Attic*. lib. XII. ep. 15. *ipse Romam venirem, ut una essemus, si satis consilium quadam de re haberem.*, h. e. *wenn*

ich Rath über einen gewissen Umstand hinlänglich hätte. itaque erravit Orellius in libro *ad Herennium* I. c. 1. §. 1., cum verbum *otium* eiici vellet ex his verbis: *Etsi negotiis familiaribus impediti vix satis otium studio suppeditare possumus*, ubi ipse omnis libros dixit *otium* tueri. *otium suppeditare* coniungendum est atque eo adverbium accedit *satis: ob ich gleich der Wissenschaft kaum in erwünschtem Maasse meine Musse widmen kann.* in constructione hac praeter Orellium offendit etiam ille librarius, qui codicem Lipsiensem descripsit, in quo est *satis otii* scriptum, alter autem cod. Lips. isque et antiquior et praestantior tuetur volgatam scripturam: *vix satis otium studio suppeditare possumus.*

Ibidem §. 46. *itaque ut quisque minimum firmitatis haberet minimumque virium, ita amicitias appetere maxime.* hoc loco omnes mei libri Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Aug. I., Aug. II., Gudianus, Gottingensis, habent *haberet* pro volgato *habeat.* meisque libris assentiuntur etiam Erfurtensis et Basileensis, alii apud Beierum et Gernhardum libri. itaque librorum auctoritas facile evincit recipiendum tempus praeteritum esse, modo id ab huius loci ratione grammatica non repudietur. atque etiam si ab una eademque constructione *alios autem dicere aiunt*, et tempus praeteritum *haberet* et praesens: *ex eo fieri, ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant etc.* suspensa sunt, tamen non credo ne hoc quidem loco optimorum librorum auctoritatem spernendam esse. verba enim: *itaque ut quisque minimum firmitatis haberet minimumque virium, ita amicitias appetere maxime,* ita dicuntur, ut ea magis ad praeteritum tempus pertineant, quibus qua argumentatione isti philosophi usi sint declaretur, quam ad id, quod re vera etiam nunc fiat; ea autem, quae sequuntur: *ex eo fieri, ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant quam viri etc.*, potius pertineant ad id quod omni tempore fiat.

Ibidem. *quam ii qui putantur beati.* Sic libri Basileensis, Erfurtensis aliique scriptum habent, quibuscum praestantissimi quique, qui nuper collati sunt, consentiunt, qui habent *putentur*, ut Gudianus, Vindob. II., Aug. I., Aug. II. alii. Lambinus legebat *videntur*, quem etiam alii secuti sunt. attulit Orellius lib. *de nat. deor.* II. c. 37. §. 95. *quibus abundent ii, qui beati putantur*, et *Tusculan. disputt.* lib. II. c. 13. §. 30. *ut omnia praeterea, quae bona corporis et fortunae putantur, perexigua et minuta videantur.* de verbi modo etsi dubitari possit an probanda sit altera scriptura; *quam ii qui beati putentur*, ut hoc etiam ex istorum philosophorum

opinione dependeat, non tamen falsum illud est, quod receperamus: *quam ii qui beati putantur*, ita ut haec verba nihil aliud nisi definitionem *fortunatorum hominum* contineant.

Ibidem. §. 47. *imbellibus fortis.* haec verba, quae liber Erfurtensis omittit, leguntur sic etiam in libro Gudiano, Aug. I., Gottingensi aliisque. quam ob caussam non potest dubitari quin recte Orellius iudicarit, qui cum Goerenzio e libro Bernensi *imbellibus* pro volgato *imbecillibus* recepit.

Ibidem. §. 48. *non dico inter pecudem et hominem, sed inter hominem et truncum aut saxum aut quidvis generis eiusdem?* hanc verborum collocationem, quam miror ab Orellio esse neglectam, et summa librorum auctoritate et sententiae vi ac gravitate moti recepimus. ac primum quidem pro volgato verborum ordine hoc: *non dico inter hominem et pecudem* ex Erfurt., Vindob. II., Gudiano, Aug. I., Aug. II., Haen., multis Beieri, aliis Gernhardi libris scripsimus: *non dico inter pecudem et hominem.*, quod etiam quae his verbis subiecta sententia est, optime fert; etenim non est oppositio inter hominem et truncum, sed inter pecudem et truncum aut saxum aut quidvis generis eiusdem; quae oppositio hoc loco eo magis ecfertur, quod *pecudem* priore loco positum est: itaque ut taceam optimorum librorum testimonium, quod sine idonea caussa ne in his quidem rebus negligi potest, etiam sententia id flagitat. deinde pro volgato: *sed inter hominem et saxum aut truncum aut quidvis generis eiusdem* uno praestantissimorum librorum consensu scripsimus: *sed inter hominem et truncum aut saxum aut quidv. gen. eiusd.*, non quod multum huic verborum collocationi tribuendum sit, qua in re vehementer falsus est Gernhardus, sed quod his in rebus libros sequendos existimo hos: Erfurt., Gudian., Vindob. II., Bern., Basileensem, quibus accedant Aug. I., Aug. II., Gotting., Vindob. I., Haen., alii Beieri libri atque Gernhardi. quod autem Beierus se ait praetulisse hunc verborum ordinem propter versum illum Homeri *Odyss.* τ. 163.

οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης.

nisi hic item mutato ordine expressus esset in *Acad.* lib. II. c. 31. §. 100. *non enim est e saxo sculptus aut e robore dolatus.*, non credo ego his rebus tantum esse tribuendum, quamquam etiam sic illa, quam recepi, verborum collocatio multum, quo se commendet, habet; hoc enim apparet, in proverbi consuetudinem cum abisset illa locutio, recte et ordine, ut factum est etiam ab Homero, truncum praepositum esse saxo, quem ad modum etiam nos dicimus *über Stock und Stein*, non *über Stein und Stock.* quod autem in illo

Academic. loco praepositum alterum, alterum post positum est, eius loci alia est ratio, cum etiam participia cum substantivis coniuncta accedant.

Ibidem. *qui virtutem duram et quasi ferream esse quandam volunt.* hic omisit Orellius cum libro Basileensi verbum substantivum *esse,* quod etsi multis locis ex glossemate in Tulli libros irrepsit, non tamen hoc loco repudiandum videtur, quod et optimi libri et uno eodemque omnes loco verbum scriptum habent, velut Erfurt., Bern., Gudian., Vindob. II., quibuscum faciunt Aug. I., Aug. II., Gotting., Vindob. I., Haenel. multi apud Beierum et Gernhardum libri. potuit autem propterea omitti facillime, quod fere solebat per compendium ab librariis scribi; quod vero in libris quibusdam deterioribus transpositum est hoc verbum, id nihil probat, quia ut iam alias significavi, haec verba, quae librarius memoria tenens, non respectans ad codicem suum scripsit, facile potuerunt alium locum occupare.

Ibidem. *ut et bonis amici quasi diffundantur et incommodis contrahantur.* Sic omnes libri, etiam mei, hunc locum scriptum habent, atque id, quod volgo a criticis probatum est *diffundatur — contrahatur,* est ex uno Manuti libro profectum, in quo sine dubio linea, qua notaretur *n* littera, omissa est. etenim scripturam illam antiquam esse non posse ceterorum librorum unus consensus efficit. quod cum ita sit, librorum quidem auctoritas postulat, ut pluralem numerum anteponamus singulari, modo huius loci ratio eum ferat. sunt autem, qui singularem unice verum esse existimarunt, ita ratiocinati: si pluralis scribatur, necessario *amici* casum esse nominativum, quod huius loci ratio non fert, etsi hoc Gernhardus probavit, quin etiam falsum fore genitivum *amici* imperitissime iudicavit. ut igitur *amici* non sit nominativus, et tamen oratio subiectum nanciscatur, putant critici singularem numerum praeferendum esse, non tamen virtutem esse, sed amicum orationis subiectum, quae notio ex verbis iis, quae praecedunt, huc assumenda sit. equidem existimo in librorum scriptura ita acquiescendum esse, ut *amici,* ut est, ita etiam habeamus pro genitivo, qui quidem ad hunc locum pernecessarius est, neque enim illud requiritur, ut qui amici sunt bonis diffundantur, incommodis contrahantur, sed ut alterius i. e. amici bonis diffundantur eiusque incommodis contrahantur., est ergo iste genitivus hoc loco necessarius. *bona amici* autem sunt bona quae contingunt amico, ut recte iam interpretes explicarunt, illi autem numeri plurales *diffundantur* et *contrahantur,* ut saepe alias, ita hoc quoque loco subiectum

ex omni oratione accipiunt, ut sint ii amici, qui habent teneram illam atque tractabilem virtutem. quod autem Gernhardus dixit si *amici* pro genitivo habemus, scribendum esse *amicorum*, id falsum omnino est, saepe enim singularis ibi usurpatur et a Graecis et a Romanis ubi nos exspectamus pluralem. conf. infra c. XXV. §. 93. *ut ait idem Terentius*, *sed ille in Gnathonis persona*, *quod amici genus adhibere omnino levitatis est.*, ubi idem Gernhardus volt *amicorum* scribi aut vocem insontem capite damnari, quam omnes libri recte tuentur.

Cap. XIV. §. 50. *Quid? si illud etiam addimus, quod recte addi potest, nihil esse quod ad se rem ullam tam alliciat atque attrahat etc.* hoc loco optima scriptura eaque praestantissimorum librorum auctoritate confirmata adeo a criticis neglecta est, ut eam Orellius ne commemoraverit quidem. pro volgata enim scriptura: *quod si etiam illud addimus*, libri praestantiores habent: *quid si illud etiam addimus*, quod ita recepimus, ut ederemus: *quid? si illud etiam addimus — concedetur etc.* *quid si* pro *quod si* habent libri Erfurt., Gudian., Vindob. II., August. II., quibus accedunt Vindob. I., Oxonienses duo, Bernensis (Beieri), Lips. I. estque saepe alias *quid? si* in *quod si* depravatum, conf. Cic. *Tuscul. disputt.* lib. I. c. 11. §. 25. *A. Do vero. M. Quid? si maneant? A. beatos esse concedo.*, ubi liber Regius Paris. *quod si* falso exhibet. a libris igitur summam commendationem habet illa scriptura, neque minus videtur in huius loci sententiam convenire. alacritas enim orationis ac vigor multum iuvantur hac ratione. quo etiam facit illa verborum collocatio *illud etiam* quam ego ex libris optimis ac plurimis recipiendam putavi pro volgata *etiam illud*. *illud etiam* habent Gudianus, Erfurtensis, Vindob. II., quibus accedunt Bernensis, August. II., alii apud Beierum et Gernhardum. quae verborum collocatio cum multis aliis locis tum lib. *epistolar. ad fam.* V. ep. 2. §. 9. ed. Orell. *addam illud etiam quod iam ego curare non debui.*, quem attulit Goerenzius, potest confirmari.

Ibidem. *nihil est enim appetentius similium sui nec rapacius quam natura.* Etiam hoc loco immerito post habita est a novissimo editore optimorum librorum auctoritas, quae pro *nihil rapacius* scribendum praecepit *nec rapacius*: quod est in libro Gudiano, Erfurtensi, Vindob. II., Basileensi, Bernensi, quibus accedunt Vindob. I., August. I., August. II., Gotting., Haenel., Pithoeanus, omnes Aldi libri, Dresd. b., Ciz. B., Lips. I. ac si est in quibusdam libris *nihil rapacius*, ii et deteriores sunt et facillime potuit ex frequenti huius repetitionis

usu illa scriptura exsistere, conf. §. 49. *nihil est enim remuneratione benevolentiae, nihil vicissitudine studiorum officiorumque iucundius.* quam ob rem falsi ii sunt, qui ita ratiocinantur, ut dicant facilius potuisse *nihil* repetitum in copulativam particulam a librario mutari, quam illud contra. *nihil* enim illud repetitum tam frequentur legitur apud Tullium, ut facilius hoc scribi quam immutari potuerit. Beierus attulit lib. *de offic.* c. 17. §. 56. *nihil autem est amabilius nec copulatius quam morum similitudo bonorum.* conf. quae de Laeli loco explicavi *Emendatt. Tulliann.* p. 7 sq., ubi docui in orat. *pro P. Quint.* c. 1. §. 5. eandem particulam sine idonea caussa repudiatam esse in verbis his: *profecto nihil est iam sanctum neque sincerum in civitate.*, ubi volgo editum est: *atque sincerum.* conf. denique C. Th. Zumpt. ad Cic. *Verrin.* lib. III. c. 94. §. 220. p. 640. *non est iam in lege neque in officio, sed in voluntate hominum atque avaritia positus modus aestimandi*, qui affert c. 92 extr. *non ex numero neque ex summa consideranda.* et lib. VI. c. 55. §. 123. *qui non Honori neque Virtuti, sed Veneri et Cupidini vota deberet.* et eundem ad *Verrin.* lib. IV. c. 20. §. 45. p. 693. dupl. Postremo eadem caussa est libri *de senect.* c. 18. §. 62. ubi ex optimis libris scribendum putavimus: *non cani nec rugae repente auctoritatem arripere possunt* pro volgato: *non cani, non rugae etc.*

Ibidem. *non enim est inhumana virtus neque immunis neque superba, quae etiam populos universos tueri eisque optime consulere soleat.* hoc loco facile apparet quam ob caussam ex libris praestantissimis receperim: *non enim est inhumana etc.* pro volgato: *non est enim inhumana.* illa enim verborum collocatio hoc loco aptissima est, quo Tullius illud potius dicat in virtutem non cadere inhumanitatem, quam hoc non esse virtutem quae sit inhumana. qua de re iam alio loco a nobis dictum est. libri autem Erfurt., Gudianus, Vindob. II., August. I., August. II., Gotting., Haenel. alii apud Beierum ordinem verborum nobis probatum tuentur. pro eo autem, quod in omnibus libris, etiam nostris, legitur *neque immunis* erant qui ex aperto librari errore, qui in librum Oxoniensem I. irrepsit, scribendum praeciperent *neque immanis* mirorque hanc scripturam ab integro Orelli iudicio non prorsus repudiatam esse. illud enim nomen *immunis* non videtur satis notum fuisse librariis, quam ob caussam etiam alias depravatum est, velut in orat. quae est *pro P. Sestio* c. 57. §. 122., ubi *Emendatt. Tulliann.* p. 33 sq. docuimus ex libro palimpsesto Vaticano (*Classic. auctor. e Vaticanis Codicibus edi-*

tor. ed. A. Mai. tom. II. p. 150.) scribendum esse laudatum Acci versum in hunc modum:

o ingratifici Argivi, immunes Graii, immemores benefici.

ubi volgo legebatur *inanes Graii*, quod cur ferendum non sit pluribus declarandum non est. *immunis* autem, quod eum significat, qui est vacuus a munere, sive publico sive privato, hoc loco translatum est ad eum, qui voluntate sua volt esse vacuus a munere gratiarum atque benevolentiae praestando, quem ad modum recte explicatum est iam a Gernhardo; praeter locum illum *orat. Sestianae* poterit conferri, quem attulerunt lexicographi Plaut. *Trinumm.* act. II. sc. 2. v. 75. *civi immuni scis quid cantari solet.*

Ibidem. §. 51. *qui utilitatum caussa fingunt amicitias. utilitatum* pro volgato *utilitatis* habent Erfurtensis, August. II., Gottingensis, Vindob. I., Haenel., Bern. II., apud Beierum Dresd. 106. Lips. II., Oxon. quattuor, Vimar., Ciz. B. apud Gernhardum, attamen credo ego cum libri, quorum iure magna est auctoritas, ut Gudianus et Vindob. II., quibus accedunt August. I. aliique multi, *utilitatis* habeant, posse etiam nunc de recepta scriptura dubitari. illa enim ratio, quum inisse video Beierum, iam propter *amicitias* opus esse numero plurali, non potest probari. si quidem cum *utilitates* dico, non cogito de rebus pluribus, ex quibus fructum percipio, sed commoda ea intelligo, quae nos *Vortheile* vocamus, *utilitas* autem tum dicitur, cum simpliciter esse aliquam rem utilem declaro, *der Nutzen, die Nützlichkeit.* hinc facile est ad intelligendum, pluralem numerum saepius de commodis, quae dicuntur, externis dictum esse, singularem vero posse etiam de interna ac vera utilitate intelligi. sed hac re explorata vel optime poterit intelligi, cur Tullius hic *utilitatis* potius scripsisse videatur quam *utilitatum*, etsi aperte de commodis, quae ex amicitia percipiuntur, cogitavit. neque enim Tullius videtur hoc loco recte dicturus fuisse: *atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatum caussa fingunt amicitias, amabilissimum modum amicitiae tollere.*, quoniam si scripsit *utilitatum caussa*, iam numero plurali significavit de externis commodis eisque contemnendis cogitandum esse, quod iam ipsum per sese non poterat probari neque erat pluribus refellendum verbis. hinc adducor, ut Tullium *utilitatis* scripsisse existimem.

Ibidem. *tantumque abest, ut amicitiae propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus et copiis maximeque virtute praediti, in qua plurimum est praesidi, minime alterius indigeant, liberalissimi sint et beneficentissimi.* Sic volgo critici constituerunt hunc locum, at si librorum scripturam conside-

ramus, dubitari non potest quin interpolatus hic locus sit. libri enim, quorum ulla est auctoritas, participium *praediti* omittunt, ut Erfurtensis, Gudianus, Vindob. I., Vindob. II., Haenel., August. II., Gotting., itemque Bernensis, Basileensis, Oxonn. $\varkappa$, ν, σ, ψ., tres Palatini, Vimar., quindecim Manuti, alii denique apud Beierum, ita ut a libris nullam commendationem accipiat volgata scriptura, pro qua in cod. Goth. b. scriptum est *virtute muniti*, in libro Bernensi II. *praediti maximeque virtute*, Lambinus edidit: *virtute, in qua — praesidii, freti*. illi libri, qui participium *praediti* tuentur, et paucissimi et pessimi sunt. hinc duplex nata est suspicio, una Beieri, qui cum in optimis ac plurimis libris *praediti* omissum vidisset, coniecit legendum esse: *maxumeque virtute, in qua 'st plurumum praesidi, praediti*, quae scriptura neque ulla librorum auctoritate confirmata est et ipsa per sese minus videtur esse probanda; altera opinio Gruteri est, qui *praediti* omittendum putavit, ablativos istos a verbo *indigendi* suspensos. at recte ineptam hanc rationem dixit Gernhardus: nec enim ita potuit dici: *maximeque virtute minime alterius indigeant*, quamquam credo Gruterum ita accipi voluisse hunc locum, quem ad modum alii abiecto participio illo explanare studuerunt, quos quidem refellere frustra conatus est Graevius, quamvis eius rationem probaverit Gernhardus. Ego quidem non possum non profiteri vehementer falsos esse novissimos criticos, me item et Orellium, qui participium *praediti* hoc loco necessarium existimaverimus, ablativos autem isto adminiculo constructionis posse carere praefracte negaverimus. integerrimus enim hic locus est et nulla re nisi falsa interpolatione depravatus, quam si cum optimis libris abiiciamus, hanc habebimus sententiam, aptissimam illam ac maxime Tullianam: *ut ii, qui opibus et copiis maximeque virtute, in qua plurimum est praesidi, minime alterius indigeant, liberalissimi sint et beneficentissimi*. cuius grammaticam rationem prius quam explicabo tradamque, reiiciendus est error quidam Orelli, qui vel maxime rationi meae adversari videatur. cum enim hoc loco et plurimorum librorum omissione et aliorum transpositione verbum *praediti* ex glossemate esse natum appareat, quod inde est etiam evidentius, quod liber quidam pro eo aliud glossema *muniti* habet, videtur illud obstare apertae huic rei ac pene iam conclamatae, quod Orellius scripsit ad *Tusculan. disputt.* lib. V. c. 14. §. 41. *non ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo*, p. 427. *Zu bemerken diess* praeditus, inquit, *auch mit etwas Schlimmem „begabt, versehen.“ Ueberhaupt ist* praeditus cum

abl. *bei Cicero häufiger, als manchem frühern Kritiker recht war; desshalb oft ausgelassen, oft als Glossem verdächtigt. Es ist aber gerade eins der Worte, die den Glossatoren nicht leicht einzufallen pflegten, weil es namentlich den Italiänern des XV. Jahrhunderts, von welchen die meisten Glosseme auch im Cicero herrühren, zu ferne lag.*" Haec quam sint falsa hoc magis docendum est, quod Orelli auctoritatem his in rebus summam esse putamus. ac primum quidem nulla caussa est, cur Itali illi, cum ceteris verbis similibus in interpolandis scriptis usi sint, hoc potissimum abstinuisse videantur, quod et apud scriptores ipsos est frequentissimum neque istis hominibus poterat obscurum videri. immo illi homines hoc secuti sunt, ut quod uno loco apud scriptorem suum quippe integrum legissent, id altero loco, ubi profectum a scriptore non erat, inculcarent. si igitur apud Ciceronem *virtute praediti* alio loco invenerant, etiam ibi, ubi cum *virtute* tantum legeretur, videretur ille ablativus egere explicatione, adiecerunt illud participium; quod hoc loco et factum esse libri testantur et eo facilius potuisse fieri apparet, quia modo §. 49. dicta haec verba erant: *quid enim tam absurdum quam delectari multis inanibus rebus —; animo autem virtute praedito, eo qui vel amare vel ut ita dicam redamare possit, non admodum delectari?*, ubi Beierus non recte iudicavit, quod verba *virtute praedito* ex coniectura nata esse existimavit. Italos vero hoc quoque verbo in glossematis usos esse apertum est c. XI. §. 36. *perfecta quidem sapientia simus, si nihil habeat res viti*, ubi cum pro verbis *sapientia simus* scriptum in librorum Oxoniensium alio *sapientia sumus ornati* ex glossemate sit, in alio *sapientia praediti sumus*, quis est qui neget istos homines etiam hoc verbo in interpolando abusos esse? Sic credo me hoc effecisse, ut Orelli praeceptum ad tuendum verbum *praediti* nostro loco nihil valeat: restat ut doceam Tullium potuisse istis ablativis sine ullo constructionis adminiculo uti, quod quo magis appareat exstetque, paullo accuratius de hoc ablativi usu disputandum erit quam factum esse video a grammaticis nostris. cum igitur huius casus ea esset vis ac significatio, ut aliquid esse quodam loco diceret, id ab loco facillime translatum ad conditionem est; deinde ille ablativus ita est adiunctus verbis, ut cum significaret esse eum aliqua conditione, qui aliquid ageret, caussa simul redderetur, cur id ageret. idque non solum factum est cum illa re, quae ablativo casu exprimitur, tamquam instrumento uti videmur, verum etiam tum, cum ea res nihil nisi caussa est, quapropter aliquid facimus. exemplis clarior res erit. Sic supra c. IX.

§. 30. *sed ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit.*, ubi istis ablativis caussa redditur cur dilexerit. c. XI. §. 37. *itaque hac amentia quaestione nova perterritus in Asiam profugit, ad hostis se contulit.*, ubi eodem modo, quod dicamus *propter hanc amentiam profugit*, Tullius scripsit *hac amentia profugit.* conf. Cic. orat. *pro S. Rosc. Amerin.* c. 29. §. 80. *quid ergo est? quo tandem accusator inopia argumentorum confugerit?*, ubi eodem modo *inopia argumentorum* caussa est cur quopiam confugerit. supra c. XV. §. 34. *quamquam miror illa superbia et opportunitate si quemquam amicum habere potuit.*, ubi librariorum partim *pro illa*, alii *in illa* scripserunt. *pro S. Rosc. Amerin.* c. 31. §. 88. *is, ad quem morte eius divitiae venerint, an is ad quem mendicitas.* et ibid. c. 33. §. 93. *si eos putas, qui alienum appetebant: tu es in eo numero, qui nostra pecunia dives es.* sic innumerabilibus locis ablativo casu exprimitur esse aliquid in caussa, cur aliud fiat; ubi nos plerumque solemus particulam *vermittelst* usurpare. quid igitur caussae est, cur negemus illo, a quo digressi sumus, loco nos posse carere participio *praediti*, ubi haec verba ipsa per sese facillima sunt ad intelligendum: *qui opibus et copiis maximeque virtute, in qua plurimum est praesidi, minime alterius indigeant, welche vermöge ihrer Macht, Reichthümer und vorzüglich ihrer Tugend, in welcher der vorzüglichste Schutz liegt, nicht im Geringsten des Nächsten bedürfen.* quin etiam lib. *de offic.* II. c. 4. §. 15. eodem plane modo locutus Tullius est: *quas res et mansuetudo animorum consecuta et verecundia est, effectumque, ut esset vita munitior atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et commodandis nulla re egeremus.*, ubi ne duplex quidem ablativus ullam difficultatem facit. conf. quae scripsi lib. *quaestt. Tulliann.* I. p. 38 sqq. ad lib. *de orat.* III. c. 44. §. 144. *namque haec duo musici, qui erant quondam idem poetae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem,* ubi critici, etiam Orellius, turbas fecerunt sine ulla idonea caussa. adde his *Bruti* c. 66. §. 234. *Cn. Lentulus cum esset nec peracutus — quamquam et ex facie et ex voltu videbatur — nec abundans verbis — etsi fallebat in eo ipso —, sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora, admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea, quae deerant, non desiderarentur.*, ubi in alia omnia abierunt critici, praeclaram Tulli orationem alio loco, si opus est, explicando defendam. quod

denique Beierus *praesidi* in illo loco glossema esse opinatus est, in eo profecto falsus est, nam neque librorum auctoritas illud verbum condemnat neque sententia, de qua conf. *Tusculan. disputt.* lib. V. c. 29. §. 83. *et quoniam videris hoc velle, ut quaecunque dissentientium philosophorum sententia sit de finibus, tamen virtus satis habeat ad vitam beatam praesidi.*

Ibidem. *atque haut sciam an ne opus sit quidem nihil umquam omnino deesse amicis. haut sciam* pro volgato *haud scio* et optimi et plurimi libri habent, ut Erfurtensis, Gudianus, Vindob. II., August. II., Gottingensis, Haenel., Dresd. 106. apud Beierum, apud Gernhardum Goth. 48., Vim., Oxon. η, ν, ο, σ. recteque videtur Beierus in *excursu ad Laelium* II. p. 214. hanc scripturam volgatae anteferre, collatis his locis, Cic. lib. *de orat.* I. c. 60. §. 255. *id quod haut sciam an tu primus ostenderis.* lib. II. c. 17. §. 72. *in caussarum contentionibus magnum est quoddam opus atque haut sciam an de humanis operibus longe maximum.* eiusd. libri c. 52. §. 109. *par atque una ratio est spei, laetitiae, molestiae; sed haut sciam an acerrimus longe sit omnium modus invidiae. Tuscul. disputt.* lib. III. c. 23. §. 55. *neque tamen genus id orationis in consolando non valet, sed id haut sciam an plurimum.*

Cap. XV. §. 52. *pro deorum fidem atque hominum! deorum* pro volgato *deum* ex libro Erfurtensi, Gudiano, Basileensi, Bernensi, Vind. I., Haenel. aliis multis apud Gernhardum et Beierum, edidi, quia in his rebus libros debemus sequi optimos. apposite laudavit Beierus *orat.* c. 46. §. 156. „pro deum" *dico vel* „pro deorum."

Ibidem. *haec enim tyrannorum vita, nimirum in qua nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia etc.* Quod hoc loco pro Orelliano *haec est enim tyrannorum* scripsi *haec enim tyrannorum*, id iam credo mutandum esse in *haec enim est tyrannorum* optimorum librorum auctoritate, ut Basileensis, Gudiani, Vindob. II., Haen., August. I. Aug. II., Gottingensis plurimorumque librorum ante me collatorum. deinde pro volgato *in qua nimirum* scribendum putavi ex libris permultis nec iis malis *nimirum in qua*, quod habent Vindob. I., Vindob. II., Haen., Basileensis, Bernensis, Dresd. 166. Lips. I., Lips. II., Berol. γ. ε. Goth. uterque Vimar., Ciz. A., B. Beiero autem de interpolatione suspectum fuit hoc verbum, quod idem Beda in excerptis non habet. Orellius tamen defendendum existimavit. equidem etsi Beiero id non possum assentiri, quod una *in qua* eiiciendum putavit, tamen iam proclivior sum ad omittendam illam

particulam, quod eam video in libro huius dialogi optimo Gudiano omissam, in quo aperte haec verba sunt: *haec enim est tyrannorum vita, in qua nulla fides, nulla caritas etc.*, deinde quod in aliis libris alium locum obtinet; itaque eodem fere modo credo hic irrepsisse *nimirum*, quo in Cic. dial. *de senectute* c. 14. §. 49. *pene* se intulisse docui ad eum locum p. 121 sq. et si nunc orationem constituerem, *nimirum* uncis certe circumdarem.

Ibid. §. 53. *quod Tarquinium dixisse ferunt, tum exsulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, cum iam neutris gratiam referre posset.* hoc loco optimorum librorum scriptura immerito est in interpolationis suspicionem vocata a criticis nostris, cum enim volgata scriptura, quam optimi etiam libri tuentur, ut Gudianus, Erfurtensis, Vindob. II., aliique multi, esset: *tum exsulantem se intellexisse etc.* alii verbum *exsulantem*, alii *tum* particulam pro glossemate habuerunt. at iam Gernhardus recte vidit non posse ullam difficultatem his in verbis esse, *tum* referendum esse ad illud, quod sequeretur *cum*, *exsulantem* autem ad *tum* explicationis caussa adiectum esse, eique assensi sunt intelligentes iudices Goerenzius in Iahni *Annal. philol. et paed.* vol. I. p. 307. Moserus in *Annal. Heidelb.* a. 1826. p. 978. censor Halensis 1826. num. 179. p. 745. quae cum ita sint, sane miror quod Orellius *exsulantem* verbum uncis circumdedit, quod ob eam caussam mutatum est in libris volgatis, quod non intelligebatur, quid esset illud *tum* et quorsum spectaret. est igitur etiam in libro Gudiano super *tum* scriptum *cum*, quo recepto alia etiam debebant mutari, ut factum in volgatis libris videmus. has autem mutationes non opus est verbo refellere.

Ibid. §. 54. *Quamquam miror illa superbia et importunitate si quemquam amicum habere potuit.* hoc loco substantivum *amicum*, quod ego primus adieci, addunt et optimi et plurimi libri, velut Gudianus, Erfurtensis, Vindob. II., Basileenses, Bernensis I., Bern. II., Vindob. I., Aug. I., Aug. II., Gottingensis, Oxonienses praeter unum omnes, Gothanus uterque, Pithoeanus, Vim., Ciz. A., B., Dresd. 106. Lips. α., β., Berol. γ., ε. pauci iique pessimi libri omittunt. ad optimorum librorum auctoritatem videtur etiam sententia ipsa, quae huic loco subiecta est, accedere, neque enim sine summa gravitate nomen amici adiunctum est, nam etsi cum *si quemquam habere potuit* scribimus, illud *quemquam* ad amicum debebit transferri, illud tamen mirum hoc loco est, si illa importunitate quemquam amicum habere potuit. nos dicamus simili voce: *dass er irgend einen Freund haben konnte.*

Ibidem. *nec quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest.* *nec* hoc loco habent libri Basileensis, Gudianus, Vindob. I., Vindob. II., Haen., Aug. I., Aug. II., Gottingensis, Lips. *α.*, *β.*, Oxon. tres, Goth. a., Ciz. A., B., Vimar. idque erat volgato *neque* praeferendum. conferantur quae scripsi lib. *quaestt. critt.* I. p. 54. et orat. *Plancian.* c. 15. §. 36., ubi scribendum docui: *nec enim quidquam aliud in hac lege nisi editicios iudices secutus es*, et *epistol. ad fam.* lib. III. ep. 7. §. 9. *nec potest fieri me quidquam superbius.*

Ibidem. *atque hoc quidem videre licet eos qui antea commodis fuerint moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari etc.* hic pro volgato *fuerunt*, pro quo in aliis libris, velut in Aug. I. est *fuerant*, ex libris optimis Erfurt., Gud., Vindob. II., Aug. II., Haen., Vimar., aliis, recepi *fuerint.* habebant enim hoc Romani, ut interdum in eius modi locis etiam ea, quae poterant per se stare, ab eo verbo suspenderent, quod esset in omni constructione primarium. sic lib. *de offic.* I. c. 4. §. 11. scribendum est: *commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi caussa et cura quaedam eorum, quae procreata sint.*, ubi volgo *sunt* legitur, coniunctivum autem antiquissimi libri tuentur, qui ita explicandus est, ut dicamus in verbo *cura* positam esse cogitationem hanc esse haec ex ista coniunctione procreata. conf. eiusdem libri c. 7. §. 22. *atque ut placet Stoicis, quae in terris gignantur, ad usum hominum omnia creari*, ubi recte Orellius ex antiquis illis libris, quos supra neglexerat, recepit *gignantur* pro *gignuntur*. conf. quae disputavi ad librum *de senect.* c. 21. §. 78. p. 159—162.

Ibidem. §. 55. *Etenim cetera cum parantur, cui parentur nesciunt.* Sic libri Gudianus, Erfurtensis, Vindob. II., quibus accedunt Aug. II., Vindob. I., Haenel. aliique libri, neque ulla videtur caussa esse cur hanc optimorum librorum scripturam repudiemus, quam ceteri quoque tuentur libri, quorum alii habent *cum parant cui parentur*, alii *cum parantur cui parent.*

Ibidem. *eius enim est istorum quidque, qui vicit viribus.* miror quod Orellius ex libro Bernensi recepit *eius est enim* pro volgato *eius enim est*, quod optimi libri uno consensu tuentur, ut Erfurtensis, Gudianus, Vindob. II., Vindob. I., Haenel., August. I., Aug. II., Gottingensis, ceteri Beieri atque Gernhardi libri. quod autem pro *vincit* scripsi *vicit*, id factum est librorum multorum auctoritate, ut Vindob. I., Vindob. II., Haen., Bern. I., Bern. II., Basileensis, Aug. I., Aug. II., paucorum quorundam apud Gernhardum. Gu-

dianus quidem habet *vicit*, sed ita ut *n* littera in litura esse videatur. Erfurtensis ac reliqui libri *vincit* tuentur. quae cum ita sint difficile iudicatu est, utrum sit anteferendum, si quidem recte Beierus ostendit utrumque posse locum habere. ego tamen aoristum *vicit* praeferendum putabam, quod id videretur facilius potuisse in praesens tempus mutari, quam *vincit* in *vicit*.

Cap. XVI. §. 56. *unum ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos. erga amicum* habent Erfurt., Gudianus, Vindob. II., Aug. I., Aug. II., Vindob. I., Haen., Bernensis I., Bern. II. ceteri libri plerique. Orellius e Basileensi aliisque deterioribus libris scribendum putavit *erga amicos;* quod est sine dubio a correctore ortum, nos item dicimus *gegen den Freund* et Graeci *πρὸς τὸν φίλον,* conf. quae supra scripsi ad c. 13. §. 49. p. 165.

Ibid. §. 57. *quam multa enim quae nostri caussa numquam faceremus, facimus amicorum.* hoc loco immerito a plerisque editoribus optimorum librorum auctoritas neglecta est, *nostri caussa* enim, quod est in libris Erfurt., Gudiano, Vindob. II., Basileensi, Bernensi, August. I., August. II., in omnibus Beieri libris praeter Berol. ε., in duobus Gernhardi codd., ab omnibus fere post habitum est volgato *nostra caussa,* quod est in libris deterioribus. recte autem illud propter oppositionis gravitatem tutatus est Beierus, qui contulit A. Gelli *noct. Attic.* lib. XX. c. 5. (non 6.) et Serv. ad Virgil. *Aeneid.* lib. XII. v. 29., qui hoc habet: *victus amore tui: hoc est, propter tuum amorem. sane inter tui caussa feci* et *tua caussa feci haec discretio est, ut tui caussa tunc dicamus, si aliquid ipsi ad quem loquimur praestiterimus: uti puta tui caussa te defendi. tua vero caussa tunc, cum alteri aliquid alterius contemplatione praestamus, ut tua caussa hominem tuum defendi.* unde apparet utrumque certe potuisse dici, etiam si illud discrimen, quod facit Servius, verum non est. Gellius autem facit Apollinarem grammaticum ad Plauti Pseudolum provocantem, ubi haec verba legerentur:

si ex te tacente fieri possem certior, here,
quae miseriae te tam misere macerent,
duorum labori ego hominum parsissem lubens,
mei te rogandi et tui respondendi mihi.

conf. praeterea Ochsnerus in *Eclogis* p. 222. ed. tertiae. sed de Tullianis locis, qui huc vocantur, tum demum recte iudicari poterit, cum plures melioresque libri tam diligenter omnes,

quam hoc loco excussi erunt, ubi de vera scriptura iam nemo dubitabit.

Ibid. §. 58. *Neque enim verendum est, ne quid excidat aut ne quid in terram defluat aut ne plus aequo quid in amicitiam congeratur.* hoc loco recte Goerenzius l. l. p. 309. defenderat pronomen *quid* post *aequo,* quod Gernhardus cum libro Goth. sec. eiiciendum putarat, neque tamen Goerenzio assensi sunt critici in re aperta. libri ut dixi illo excepto omnes *quid* habent, etiam nostri, Gudianus, Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Aug. I., Aug. II., Gottingensis. si igitur in uno eoque non optimo libro deest, illud aperte aut errore aut nimia librari diligentia factum est. posse autem illud pronomen isto quoque loco legi ostendit Goerenzius estque in simili caussa saepe pro glossemate habitum, conf. quae dixi de orat. *Plancianae* c. 23. §. 58. *sed si quid sine capite manebit aut quid erit eius modi, ut non exstet auctor.,* quo in loco errantem Wunderum in viam revocavimus in *Annal. philol. et paedag.* 1832. vol. 1. p. 113. post positum autem illud pronomen saepe est, conf. *auct. ad Herenn.* lib. 2. c. 27. §. 43. *considerandum est, ne aut ad rem addatur quid aut quidpiam de re detrahatur etc.*

Ibid. §. 59. *ut amici iacentem animum excitet inducatque in spem cogitationemque meliorem.* Sic Gernhardus, Beierus, Orellius volgatam scripturam ex libris mss. mutarunt, quod idem de meis libris tuentur Vindob. II., Gotting., August. I., Aug. II., estque Tullius eodem modo saepius locutus, conf. lib. *de offic.* II. c. 15. §. 53. *quae te, malum! inquit, ratio in istam spem induxit, ut etc.* apteque attulit Beierus etiam orat. *in Catil.* II. c. 13. §. 29. *quibus ego ducibus in hanc spem sententiamque sum ingressus.* et tamen cum libri praestantiores quidam, ut Erfurtensis, Gudianus, Basileensis, quibus accedunt de meis etiam Vindob. I. et Haenel., Bernensis II. apud Orellium, praepositione *in* omissa exhibeant: *inducatque spem cogitationemque meliorem,* pene adducor, ut hanc scripturam a Tullio profectam esse existimem, quae ab linguae Latinae consuetudine nullo modo abhorreat. eodem enim modo, quo dictum est *alicuius animum in spem cogitationemque aliquam inducere,* poterat etiam dici *inducere spem cogitationemque aliquam* (*in alicuius animum*) multisque locis potest probari hoc item factum a Romanis. quin etiam hanc ob caussam videtur praepositio *in* delenda esse, quod cur illata illa sit, satis apparet, cur deleta esse videatur, non liquet, praesertim cum etiam constructio paullo difficilior omissa praepositione nascatur.

Ibidem. *quonam enim modo quisquam amicus esse poterit eius, cui se putabit inimicum esse posse?* Sic libri, ut videtur, omnes hunc locum scriptum habent, atque etiam mei *poterit eius* tuentur, Gudianus, Aug. I., Aug. II., Gotting., Vindob. I., Vindob. II., Haenel., apud Orellium Erfurt. (hic habet *ei*, id quod nihil aliud videtur esse nisi *eius.*) Basileensis, Bern. I., Bern. II., ceteri apud Beierum et Gernhardum. nec videtur quidquam caussae esse cur hanc plurimorum librorum auctoritatem negligamus, praesertim cum haec accurata relationis definitio huic loco satis accommodata esse videatur. quod si quis hoc dicat inconcinnam fore orationem, ego neque ex libro Erfurtensi *amicus esse poterit ei, cui,* neque ex Haeneliano *amicus esse poterit eius, cuius* scribendum existimo. nam quid impedivit Tullium quo minus priore loco substantivum ecferret, altero *inimicum esse* pro verbali constructione haberet?

Ibidem. *rursum autem recte factis commodisque amicorum necesse erit angi, dolere, invidere.* quod hoc loco Gernhardus, Beierus, Orellius verba *necesse erit*, quae iam supra scripta erant, ex auctoritate libri Oxon. η. omittenda existimarunt, tantum abest ut eundem iis, quem Halensis censor et Heidelbergensis, tribuam assensum, ut non diffitear videri mihi homines doctissimos summum eumque pene turpem errorem hoc loco commisisse. etenim si libri illius auctoritatem dicunt, is neque tam vetustus est nec tam praestans, ut ceteris libris dissentientibus quidquam ei auctoritatis tribuendum sit, ceteri autem libri verba *necesse erit* uno eodemque loco omnes tuentur. unde apparet aut errore aut coniectura sane non difficili ab librario ista verba in libro Oxoniensi abiecta esse. si autem hoc dicunt critici omnia, quae integra loci sententia possint abesse, inducenda esse etiam contra librorum testimonium, quam temerarium faciant iudicium et quam multa sint delenda, ipsi viderint. hoc quidem loco, ubi iam supra ad c. 2. §. 8. p. 101 sq. significavi contra libros nihil novandum esse, etiam si ipsa loci sententia illa verba non necessario requirit, tamen librorum auctoritas optimorum *necesse erit* tuetur atque, quod maius est, etiam rhetorica huius loci ratio atque elegantia flagitat. Cicero enim volt illud Biantis dictum ita infirmare, ut dicat, ex eo necessario aliquid sequi, quod in falsam amicitiam nos inducat, cumque in illa necessaria consecutione plurimum positum sit, quo illius sapientis praeceptum eluatur, recte atque ordine ista verba *necesse erit* repetiit etiam in altera sententia. nos similiter dicamus: *ja daraus wird auch nothwendig folgen,*

dass man wünsche und begehre, der Freund möge so oft als möglich fehlen, damit wir um so mehr Anhaltepuncte zum Tadel haben: hinwieder aber wird bei richtigem Handeln und Vortheilen der Freunde nothwendig folgen, dass man Angst, Schmerz und Scheelsucht hege. conf. exempla supra l. l. allata.

Cap. XVII. §. 62. *Sic — saepe enim redeo ad Scipionem, cuius omnis sermo erat de amicitia — querebatur etc.* Sic libri plerique ac praestantissimi hunc locum scriptum habent, ut Erfurtensis (errat Orellius), Gudianus, Vindob. II., Basileensis, quibus accedunt Aug. I., Aug. II., qui habet: *sepe .N. ad Sc.* i. e. *saepe enim ad Sc.*, Gotting., Vindob. I., Haenel., alii libri. quod cum non recte distingueretur: *sed saepe — enim* pro *enim* aut *nam* scriptum est aut *etenim*, neutrum autem bonis libris confirmatur, in aliis *enim* etiam prorsus neglectum. mihi quidem nulla est dubitatio quin Tullius verba: *saepe enim redeo ad Scipionem*, coniunxerit, quibus hoc dicit: id enim, quod supra c. 10. §. 33. professus sum me facturum, ut Scipionis potissimum sententiam de amicitia proferrem, facio ut saepe ad eum, ut eius rationes exponam, revertar. sic Graeci dicunt: ἀλλὰ πολλάκις γὰρ πρὸς τὸν Σκηπίωνα βλέπω κτἑ. Sic *enim* etiam aliis locis cum non recte intelligeretur, turbas fecit, conf. lib. *de senectute* c. 21. §. 77., ubi pene adducor ut credam esse scribendum: *Equidem — non enim video cur quid ipse sentiam de morte non audeam vobis dicere, quod eo mihi melius cernere videor, quo ab ea propius absum — ego vestros patres, P. Scipio tuque C. Laeli, viros clarissimos mihique amicissimos vivere arbitror et eam quidem vitam, quae sola est vita nominanda.*, pro eo, quod volgo legitur: *Equidem non video etc.* *enim* autem liber Parisinus Regius, qui iure praestantissimus habetur, addit et Haenelianus, qui habet *Equidem non video enim etc.* Mox pro volgato *omnibus in rebus* ex libro Erfurtensi scripsi *in rebus omnibus*, pro quo Aug. II. habet: *omnibus rebus.*; Gotting., Vindob. I. Haen. *in omnibus rebus.* vix autem videtur opus fuisse ex libro uno mutare volgatum verborum ordinem, cum reliqui in volgata scriptura: *omnibus in rebus*, consentiant omnes eamque etiam oppositionis ratio confirmet.

Ibidem. *experiendum autem est in ipsa amicitia.* miror quod Orellius hic Gernhardum secutus est, qui cum paucis neque iis bonis libris scripsit: *experiendum est autem*; optimi autem ac plurimi, etiam Vindob. I., Vindob. II., Haen., Er-

furt., Aug. II., Gotting. *experiendum autem est* habent. ne quis autem cum libro Gudiano *est* omittendum putet, commemoro illud, quod iam saepius explicavi, ex unius libri testimonio his in locis indicari vix posse.

Ibid. §. 63. *Est igitur prudentis sustinere ut cursum sic impetum benevolentiae quo utamur quasi equis tentatis, sic amicitia aliqua parte periclitatis moribus amicorum.* Hic locus et ab antiquis criticis falso est acceptus nec a recentioribus satis recte explicatus, etsi nunc in ea scriptura, quam recipiendam duximus, pene omnes consentiunt. ac primum quidem in libris non malis pro *currum* scriptum est *cursum*, quod habet etiam Gudianus noster, in Aug. I., ubi item *cursum* legitur, *r* superscriptum est; Gottingensis, Vindob. I., Haen., Bernensis II. *cursum*, quod alii libri non pauci tuentur; *currum* habent Erfurtensis, Vindob. II., August. II., Bernensis I., alii libri. idque collato illo versu, qui est in *Epistol. ad Attic.* lib. XIII. ep. 21. §. 3. ed. Orell. *nec est melius quidquam, quam ut Lucullus*

sustineat currum, ut bonu' saepe agitator, equosque!

non dubitaverunt critici quin sit a Tullio profectum. nam quod Beierus comparari ait posse lib. *de re publ.* I. c. 29. *in gubernanda re publica moderans cursum atque in sua potestate retinens*, is quidem locus, in quo iam propter gubernandi verbum de re navali cogitandum est, non multum probat. de re navali autem, de qua hoc loco sermo non est, cogitarunt etiam ii librarii, qui scripserunt *cursum navis*, ut scriptor codicis Basileensis aliique; de qua scriptura iam conclamatum est. itaque Beierus ipse nihil esse melius putavit quam in illa, quae inde ab Ernestio recepta scriptura est, acquiescere, eamque ego quoque amplexus sum, quamquam negare non possum mihi videri alteram scripturam *cursum* magnam veri similitudinis speciem prae se ferre. rectius enim videtur cursus cum impetu comparari, quam currus. deinde impetu benevolentiae utamur periclitatis moribus amicorum, cursu autem, non curru, equis tentatis. quae cum ita sint, omnis huius loci ratio videtur *cursum* potius requirere quam *currum*, pro quo tamen ille quem attulerunt versus facit; quamquam etiam illo loco currum non tam de instrumento, quo vehimur, quam de equis, qui vehunt, ut saepe alias apud poetas, dicitur idque explicatur per verba *equosque*. *currum* autem ita optime tueare, ut dicas eo verbo significari currum celeri rota ruentem (*der rennende Wagen*), quem nisi sustineas, facillime ex-

cidas. deinde pro *equis tentatis* multi errores illati erant, qui inde orti videntur, quod antiquitus scribebatur *temptatis*, quod cum pro compendio verbi *tempestatis* haberetur, ab aliis hoc est receptum librariis, ab aliis, qui vidissent ineptam esse hanc vocem, scriptum *temperatis*, hoc ipsum factum est in libro Gudiano, ubi cum primum scriptum esset *tempestatis* idem librarius in margine significavit hoc mutandum esse in *temperatis*. itaque videmus in aliis libris, quorum scriptores quod legebant scriptum diligenter, fortasse illud quidem non intellectum, in suum codicem transtulerunt, positam *temptatis*, ut in Bernensi utroque, in aliis, quorum non intelligentes auctores celerius rem absolvebant, scriptum est *tempestatis*, in aliis libris intelligens librariorum iudicium hoc vitium noluit relinquere, itaque ex *tempestatis* factum est *temperatis*, ut in Gudiano, Erfurtensi, Vindob. II. illud autem, quod est in deterioribus libris *aquis* pro *equis* non est operae pretium verbo refellere. denique pro volgato *amicitiis*, quod erant qui prorsus eiiciendum putarent, scripsi *amicitia* idque optimorum librorum auctoritate, uti Erfurtensis, Bern. I., Bern. II., Oxoniensium quattuor, quibus etiam Gudianus quodam modo accedit, qui habet *amicitias*, quod facilius ex *amicitia* potuisse fieri videtur, et Aug. I., in quo *amicitiis* scriptum est.

Ibidem. *quidam autem, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna.* Sic omnes pene libri hunc locum scriptum habent, quorum pauci particulam *autem* omittere videntur, optimi quidem certe habent, ut Gudianus, Erf., Vindob. II., Basileensis, Bernenses, nec minus Vindob. I., Aug. II., Gotting., Haenel., Oxonienses omnes, plerique Beieri libri, omnes Gernhardi. nec ulla videtur caussa esse, cur hoc loco haec particula repudietur, quam et optimi libri et uno consensu omnes tuentur neque huius loci sententia reiicit.

Ibidem. *imbecilla enim est natura ad contemnendam potentiam.* Sic Erfurtensis, Gudianus, Vindobonensis II., Aug. I., alii Gernhardi et Beieri libri. alii alio loco verbum substantivum habent, qua re tamen vix poterit effici, ut illud aliunde irrepsisse putemus, quod existimavit Beierus, imo his locis unice vera ratio eorum est, qui optimorum librorum consensum sequendum arbitrantur.

Ibid. §. 64. *ubi enim istum invenias qui honorem amici anteponat suo?* Pro *invenias* Beierus ex editione vetere et libro Lips. II. cum Eybio edidit *invenies*, volgatum *invenias* ratus non convenire interrogationi *ubi*. at etiam si liber Au-

gust. II. *invenies* habere postea est cognitus, tamen nullo modo possum viro doctissimo assentiri videturque *invenies* aut mero errore natum aut ab eo illatum, qui meminerat eorum verborum, quae modo dicta erant, §. 63. *ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiae non anteponant?* illius enim coniunctivi, quem ceteri libri omnes tuentur, et ratio explicari poterit et exempla sunt alia apud Tullium. coniunctivus igitur his in locis sic videtur usurpatus esse, quem ad modum Graeci in interrogatione optativo sine particula ἂν utebantur, conf. G. Hermannus ad Viger. n. 108. p. 729. ed. tert. et lib. *de particula ἂν* III. c. 5. p. 157. est enim non idem quaerasne Graece τί λέξεις; an τί λέγοις; Latine *quid dices?* an *quid dicas?* apparet enim, si hoc dico *quid dices?* me non negare alterum aliquid posse habere, quod respondeat, sin quaero: *quid dicas?* illud significo me dubitare, num alter possit quidquam respondere, itaque alterum nostra lingua est: *was wird man sagen?*, alterum: *was soll man sagen?* haec ratio exemplis omnibus, quae inveni, — neque adeo magna eorum copia est propter ipsam significationem — confirmari potest. exempla autem certa haec sunt: Cic. act. in Verr. II. lib. I. c. 15. §. 42. ed. Zumpt. *quid hoc homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis?* eiusd. actionis lib. II. c. 16. §. 40. eiusd. edit. *quid hoc homine facias? quod supplicium dignum lubidine eius invenias?* ubi alii *invenies* legebant, recte nuper etiam Zumptius iudicavit. pro P. Sestio c. 13. §. 29. *quid hoc homine facias? aut quo civem importunum aut potius hostem tam sceleratum reserves? epistol. ad Attic.* lib. IX. ep. 6. §. 5. ed Orell. *quam ob rem obsecro te, mi Tite, eripe mihi hunc dolorem aut minue saltem aut consolatione aut consilio aut quacunque re potes. quid tu autem possis? aut quid homo quisquam? vix iam deus.*, ubi miror Orellium a se impetrare potuisse, ut contra Mediceum librum ederet: *vix deus iam*, quod mihi quidem isto loco valde ineptum esse videtur. Plin. *epist.* lib. IV. ep. 25. *quo te vertas? quae remedia requiras?* Livi lib. *histor.* IV .c. 6. *hanc modestiam aequitatemque et altitudinem animi ubi nunc in uno inveneris, quae tum populi universi fuit?* sic credo nemo de recepta scriptura postea dubitabit.

Ibidem. *ad quas non est facile inventu qui descendant.* Sic ego ex libro Erfurtensi, Vindob. II. (non *Vindob.* I. quem ad modum in collatione ipsa falso est scriptum), Bernensi, Oxoniensi V., Pithoeano aliisque Beieri libris edidi, quod etsi non confirmatum est a Gudiano, tamen videtur a Tullio pro-

fectum, quia credibilius est *descendant*, cum *descendat* esset scriptum, in *descendat* esse mutatum quam illud contra.

Cap. XVIII. *Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro genere hominum iudicare debemus et pene divino.* hoc loco videre licet, quem ad modum illud, quod nobis saepe cum Latine scribimus, difficultatem iniicit, exprimendum sit: *in beiderlei Rücksicht*, quod Tullius dixit: *utraque in re.* sic dicitur: *in omnibus rebus*, *in jeder Hinsicht* etc. ne quis autem miretur, me haec, quae pene puerilia videantur, annotare, facio hoc, ut Beieri errorem reiiciam, qui: *Otiosum est*, inquit, *in amicitia*, *quum praecesserit utraque in re*, neque intellexit alio spectare hoc, alio illud. deinde pro volgato verborum ordine *hominum genere* scripsi *genere hominum*, quod est in libris et plurimis et optimis, ut in Gudiano, Erfurtensi, Vindob. II., Vindob. I., Haen., Aug. I., Aug. II., Gotting., Basil., Bern. II. aliisque Gernhardi et Beieri libris, neque est quod hanc scripturam amplius defendamus.

Ibid. §. 65. *Firmamentum autem stabilitatis constantiaeque est eius, quam in amicitia quaerimus, fides.* sic libri qui accurate collati sunt pene omnes hunc locum scriptum habent, uti Erfurt., Gudianus, Vindob. I., Vindob. II., Haen., Aug. I., Aug. II., Basileensis, Bernensis I., Bern. II. aliique apud Gernhardum et Beierum, ita ut de librorum testimonio nulla possit esse dubitatio. de sententia ipsa possit dubitari, nisi reputemus Romanos saepe verborum collocatione id significavisse, quod a nobis particulis solet indicari. itaque hoc loco, si dixit Tullius: *Firmamentum stabilitatis constantiaeque est eius, quam in amicitia quaerimus, fides*, hoc a nostris hominibus sic fere solet declarari: *firmamentum stabilitatis constantiaeque est, eius scilicet quam in amicitia quaerimus, fides.*, id Romanus contraxit in unum interposito verbo substantivo, quod hoc loco otiosum non est, inter istos genitivos, qua re apparet illud explicationis caussa adiici, quod sequitur: *eius quam in amicitia quaerimus.*

Ibidem. *nihil est enim stabile quod infidum.* quod edidi *nihil est enim stabile* pro volgato *nihil enim stabile est* comprobatur optimorum librorum consensu, ut Gudiani, Erfurtensis, Vindob. II., Bernensis aliorumque. in iis autem quae sequuntur *quod infidum* iam poenitet me non edidisse ex eisdem libris optimis illis quidem et integerrimis *quod infidum est.* si enim in libris deterioribus abest verbum substantivum, inde nihil probatur nisi illud uti illatum saepe sine caussa

est, ita etiam abiectum immerito. nec vero sine idonea caussa hac in sententia: *nihil est enim stabile, quod infidum est*, verbum substantivum videtur repeti, quod ille maxime, cuius incorruptus est sensus, indicabit.

Ibidem. *Simplicem praeterea et communem et consentientem, id est, qui rebus eisdem moveatur, eligi par est.* quod ego hoc loco volgatam scripturam: *consentientem, qui rebus eisdem moveatur*, reieci, nemo unus mirabitur, qui consideraverit quid et optimorum librorum auctoritas et sententia ipsa requirat. libri enim optimi ita ab ea scriptura discedunt, ut Gudianus, Vindobon. II., Gottingensis, Oxon. *E*, *η*, *κ*, *ν*, *ο*, *π*, *σ*, *ψ*., Dresd. 106., Berol. *γ*. aliique *id est* inter *consentientem* et *qui* interponant, quod idem habet Haenelianus, in quo usitato illo compendio scriptum est *consentientem .i. qui.*, hoc autem compendium in libro Erfurtensi, Aug. II., Bernensi, Vimariensi, Gothano II. corruptum in *idem* est, quod videmus esse etiam alias factum. in paucis libris iisque deterioribus nihil horum apparet, sed littera illa *.i.* excidit prorsus. hinc concludendum putarunt falsi critici eiiciendam illam vocem, quasi esset a glossatore adiecta, quod quam sit falsum apparet. nemo enim *id est* inter illa verba interposuisset, si scriptum invenisset: *consentientem, qui rebus eisdem moveatur*. illa enim explicatione saepe quidem utebantur librarii, sed tum cum de suo aliquid adiecerunt: non autem in ipsam orationem sine idonea caussa inferebant. qui igitur *id est* adiecit, ascripsit etiam quae sequuntur verba: *qui rebus eisdem moveatur*, quae verba in suspicionem interpolationis ne Beierus quidem opinator hac in re maximus ausus est vocare. deinde vix est credibile, si essent illa verba ex interpolatione orta, in omnibus libris, in optimis pariter atque in deterioribus ascripta esse. de sententia autem si quaerimus vix quisquam poterit negare per se ipsum dici non posse: *consentientem, qui rebus eisdem moveatur*, quod tum demum dici posset, si haberemus etiam consentientem, qui non eisdem rebus moveatur, quod fieri non potest. is enim non esset consentiens. itaque etiam aliena, ne gravius quidpiam dicam, volgatae scripturae subiecta sententia est, quam miror potuisse Gernhardo, Beiero, Orellio acuti ingeni hominibus probari. sunt autem hi potissimum loci ita comparati, ut facile criticum in errorem rapiant, nisi is caute circumspecteque considerat omnia estque liberi etiam in his minutissimis rebus iudici.

Ibidem. *quae pertinent omnia ad eam, quam iam dudum tracto, constantiam.* sic libri optimi ac plurimi hunc

locum scriptum habent, velut Gudianus, Erfurtensis, Vindob. II., Bernensis I., Bernensis II., Aug. I., Aug. II., Gotting., Vindob. I., Haenel., multi alii apud Gernhardum et Beierum, ita ut una esse videatur omnium librorum consensio, quae eo erat minus negligenda, quod modo altera horum verborum collocatio praecesserat. nec eam librarius de suo facile mutaturus fuisse videtur. praeterea commemoro in editione mea quae p. 28. posita est annotatio critica, eam pertinere ad p. 29.

Cap. XIX. §. 67. — *indigna dubitatio homine! non enim debent esse amicitiarum sicut alierum rerum satietates.* hoc loco pro volgato: *indigna homine dubitatio* ex libris Erfurtensi, Basileensi, Haenel., Gotting., quattuor Manuti, Gothano II., Dresd. a. et b. apud Gernhardum scripsimus *indigna dubitatio homine*, quae verborum collocatio et maximam hoc loco habet gravitatem — solet enim nomen, in quo primaria vis est, a reliqua oratione seiungi et in extrema sententia collocari, cf. L. Ramshorni *gr. Lat.* §. 200. II. 6. e. p. 913. 915. ed. sec. nec videtur ab librariis potuisse proficisci, qui ad mutandam hanc scripturam procliviores erant quam ad tuendam. praeterea etiam illae corruptelae, quae sunt in libris plerisque, ut *indigna dubitatio omnino est* vel *haec est* videntur ex male intellecto compendio nominis *hoie* orta esse. multo autem minus dubitari poterat de verbis iis, quae sequuntur, constituendis, in quibus miror ab omnibus criticis nuper esse neglectam verborum collocationem hanc: *non enim debent esse amicitiarum sicut aliarum rerum satietates.*, quae et in libris optimis ac pene plurimis habetur et est ad sententiam, quae his verbis subiecta est, accommodatissima. libri enim Gudianus, Erfurtensis, Vind. I., Vindob. II., Basileensis, Bern. I., Bern. II., Aug., I., Aug. II., Gotting., omnes Beieri libri, multi Gernhardi hanc verborum collocationem confirmant. sententiae denique concinnitas et gravitas, quae posita est in verbis *debent esse*, non minus hanc scripturam commendat.

Ibidem. *veterrima quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, esse debent suavissima.* hoc loco etsi omnes uno consensu libri in ea, quam recepimus, scriptura consentiunt, tamen critici vehementer falsi sunt, quorum alii corrupta haec verba putarunt, ut de novissimis, veteres enim omitto, Gernhardus, Beierus, Orellius, alii si a Tullio ista scripta concederent, falso explicarunt, ut Orellius, Beierus aliique. Orellius enim etsi librorum scripturam: *veterrima quaeque — esse debent suavissima*, non est ausus mutare, tamen Erasmi con-

iecturam: *veterimae quaeque — esse debent suavissimae*, quam omnes fere secuti erant, commendavit, et si verum illud esset, quod est in libris omnibus, per attractionem cum Beiero explicandum existimavit. illa autem attractio, qua *veterrimae quaeque — esse debent suavissima* propter interiecta verba: *ut ea vina, quae vetustatem ferunt*, dicta existimant, et ipsa per sese valde absurda est, quod in his ipsis comparationibus discernantur singula illa, quae inter se comparantur, necesse est, nec illis exemplis, quae multa attulit Beierus in editione minore p. 31., effectum est ut Latina videatur. quin etiam ipse Beierus videtur hanc explicandi rationem missam fecisse, quod eam in editione maiore ne commemoravit quidem, correctionem quandam adhibuit verbis faciliorem, reapse ineptiorem. scribendum enim putavit: *veterrima quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, debet esse suavissima*, quamquam verba *debet esse* adventicia habuit. de omittendis his verbis cogitari non potest nec opus est Beieri hunc errorem, qui non longe abest ab insania quadam, refellere. illa autem correctio hoc loco perinepta est, cum et praecesserit numerus pluralis: *non enim debent esse amicitiarum sicut aliarum rerum satietates*, et in ipsa contentione pluralis numerus vinorum usurpetur. quae cum ita sint, nihil videtur reliquum esse, nisi ut aut librorum testimonio assentiamur aut Erasmi rationem probemus; quae quamquam ab huius loci sententia aliena non est, tamen mihi videtur contra istarum sententiarum concinnitatem facere eique longe longeque posthabenda esse, quod in libris, quotquot usque ad hoc tempus excussi sunt — sunt autem plurimi —, uno consensu omnibus habetur: *veterrima quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, esse debent suavissima*, tantum enim abest, ut hoc neutrum reiiciendum sit, ut modo recte intelligatur ad hunc locum aptissimum esse videatur. est enim pro substantivo positum respondetque ei quod praecessit (*satietates*) et ei quod sequitur (*novitates*). hanc ob caussam recte etiam in plerisque libris, id quod nos recepimus, *amicitiarum* post *debent esse* legitur, quo facilius iste genitivus possit ad *veterrima quaeque* trahi. qua re illa gravis Gernhardi in volgata scriptura reprehensio evanescit, latissime patere hanc sententiam, si *veterrima quaeque* legamus, neque sic opus fuisse vinorum exemplo. namque ex nostra explicandi ratione, qua *veterrima quaeque* sunt vetustates maximae quaeque, ista verba pertinent ad istum genitivum, qui modo praecessit et per sese potest intelligi, cum omnis sermo de amicitia sit; ita ut plena sententia haec sit: non debent esse amicitiarum sicut aliarum rerum satietates;

sed amicitiarum veterrima quaeque, i. e. veterrima quaeque, quae sunt in amicitiis, ut ea vina, quae vetustate non perduntur, esse debent suavissima. sic etiam apparet, cur Tullius, postquam illa verba: *verumque illud est — expletum sit* amplificationis caussa, quod ipsa *que* particula prodit, interiecit, §. 68. sic perrexit: *novitates autem si spem afferunt etc.* ne quis autem de grammatica ratione huius explicationis dubitet, notum est Ciceronem eiusque aequalis hos superlativos saepius sic usurpasse, conf. lib. *de orat.* II. c. 16. §. 69. *cum tradita sunt cuiusque artis difficillima etc.*

Ibid. §. 68. *Novitates autem si spem afferunt, ut tamquam in herbis fallacibus fructus appareat etc.* hoc in loco etsi nemo de recepta scriptura dubitavit, tamen a multis non recte particula *ut* explicata est, quae ita demum his in locis Latina est, si ea significatur aliquid ex praecedenti verbo consequi, itaque *spem afferunt, ut fructus appareat,* non est idem quod: *spem afferunt, fore ut*, sed ita dictum quasi dixerit scriptor: *spem eam afferunt*, *qua* vel *ut ea fructus appareat*, idque etiam in ceteris locis, velut *si verum est, ut etc.* sic habendum est.

Ibidem. *vetustas tamen loco suo conservanda. loco suo* pro volgato *suo loco* exhibent Bernensis liber, Basileensis, Vindob. I., Vindob. II., Gottingensis aliique libri, quos sequendos putabam, quamquam reliquorum librorum auctoritas, qui alterum verborum ordinem tuentur, me nunc pene adducit, ut *suo loco* relinquendum putem. verbum autem substantivum, quod cum Orellio post *conservanda* omittendum putaram, omittunt etiam optimi libri mei, Gudianus, Aug. I. Aug. II., Gottingensis, Vindob. I., Vindob. II. quod quin eiiciendum hoc loco sit nulla potest esse dubitatio.

Ibidem. *quin in ipso equo, cuius modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, quin eo, quo consuevit, lubentius utatur quam intractato et novo. quin in ipso* scripsi ex libro Basileensi pro volgato, *quin ipso equo.* nam etsi negare non possumus *in* praepositionem saepe sine ulla caussa idonea ab librariis esse adiectam, tamen hoc loco, cum etiam ceteri libri pene cuncti eam plus minusve tuerentur, omittendam non existimavimus. Erfurtensis enim liber et Gudianus habent: *quin et in ipso.* Vindob. II., Aug. II., Bern. I. *atqui in ipso*, alii alia, quibus tamen omnibus *in* praepositio defenditur, quae aut antiquo errore nata aut ab ipso scriptore profecta est. in iis, quae sequuntur: *cuius modo mentionem feci*, nunc videtur ex libris bonis potuisse scribi: *feci men-*

tionem, quod habet Gudianus, Vindob. II., Haen. Dresd. b. Goth. b. A. B. apud Gernhardum aliique apud Beierum libri. conf. lib. *de senectute* c. 18. §. 68. *Lysandrum Lacedaemonium, cuius modo feci mentionem, dicere aiunt solitum Lacedaemonem esse honestissimum domicilium senectutis.*, ubi ego edendum curavi: *cuius modo feci mentionem* pro volgato: *cuius modo mentionem feci*, ex libris Parisino regio, Erfurtensi, Trevirensi, Haeneliano, aliis, conf. I. A. Goerenz. ad lib. *de finib.* III. c. 7. §. 25. *tenere autem virtutes eas ipsas, quarum modo feci mentionem, nemo poterit etc.*, ubi vir doctissimus attulit lib. *de legg.* III. c. 6. §. 14. *de quo feci supra mentionem.* or. *de lege agr.* III. c. 2. §. 4. *neque apud vos ante feci mentionem.* Nep. *Attic.* c. 16. §. 3. *in quibus de eo facit mentionem.* denique pro *qui non eo* scribendum duxi *quin eo*, quod habent libri Erfurt., Basil., Vindob. II. quodque saepe in *qui non* depravatum est.

Ibidem. *nec vero in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quae sunt inanimata consuetudo valet.* hoc loco quod cum Orellio ex libris Bernensi, Basileensi, Haenel., Oxon. *E, I, η, κ, ν, ο, π, σ, ψ.*, aliisque apud Gernhardum et Goerenzium edidi: *nec vero in hoc*, *quod*, pro volgato: *nec modo in hoc*, confirmatum est libris Guelpherbytanis, veluti Gudiano, Aug. II., et Gottingensi, ita ut iam de vera scriptura dubitari non queat, etsi Bern. II., Erfurt., Vindob. II. addunt *tantum* post *hoc*, quod quodam modo tuetur liber Aug. I., qui

in eo

habet: *nec vero in hoc tamen.* quod autem Orellius pro *inanimata* scripsit *inanima* ex nulla fere librorum auctoritate, id etsi videri possit libro Gudiano comprobari, ex quo nihil diversitatis notatum mihi est, tamen cum ceteri libri omnes, qui possunt in numerum vocari, *inanimata* habeant, recte scriptum non videtur esse. *inanimata* tuentur Erfurtensis, Basileensis, Bern. I., Bern. II., Vindob. I., (non Vindob. II. qui videtur habere *inanima*) Haenel., Aug. II., (August. I. habet *inanima*, sed adiunctum est ab eadem manu *ta.*), Gottingensis aliique. et quamquam *inanima* saepe habetur in libris omnibus, aut certe optimis, uti his locis, quos attulit Beierus, lib. *de offic.* II. c. 3. §. 11. §. 12. c. 4. §. 14. c. 5. §. 17. c. 6. §. 19. tamen etiam *inanimatus* videtur esse Tullianum, in *Topicis* quidem certe c. 18. §. 69. *animata inanimatis* libri omnes tuentur.

Ibidem. *cum locis ipsis delectemur, montuosis etiam et silvestribus, in quibus diutius commorati sumus.* hoc loco male egit Beierus, quod particulam *etiam* post *montuosis* omisit,

quae et facillime ante *et* particulam abiici potuit nec temere ab librario hoc loco inferri. etsi igitur Bernensis uterque, Vind. I., Gotting. aliique libri *etiam* non habent, tamen ceteri libri recte defendunt particulam, ut Erfurt., Gudianus, Vind. II., Basil., Aug. I., Aug. II. qui habet: *montuosis etiam silvestribus*, ubi *et* propter praecedens *etiam* omissum est, alii multi libri apud Gernhardum et Beierum. cf. quae supra dixi ad c. 1. §. 1. p. 84 sq. de scriptura autem *montuosis*, pro quo in editionibus deterioribus interdum scriptum est *montosis*, conf. Cic. orat. *pro Cn. Plancio* c. 9. §. 22. ed. Wund., ubi omnes libri, etiam optimi Bavaricus atque Erfurtensis, *montuosa* scriptum habent praeter quendam deteriorem, in quo est *montosa*. Garatonius autem errat, qui Tullium *montosum* praetulisse existimat, quod secus est. namque etiam *Partitt. oratt.* c. 10. §. 36. *loci plani an montuosi*, etsi Lambinus edidit *montosi*, libri tamen videntur omnes habere *montuosi*. nostro autem loco *de amicitia*, quantum equidem sciam, libri cuncti *montuosis* tuentur.

Ibid. §. 69. *Sed maximum est in amicitia parem esse inferiori superiorem.* Sic liber Vindob. II. scripta haec verba habet, eaque verborum collocatio, cum libri plerique exhiberent *superiorem parem esse inferiori*, praestare mihi videbatur volgatae, quod sic fere solebant Romani alterum ab altero suspendere, conf. quae supra explicavi ad c. 1. §. 5. p. 91 sq., ubi etiam de hoc loco explicavimus. quod autem hic libri praestantiores quidam, veluti Gudianus, Erfurtensis, alii *superiorem* omittunt, alii ab altera manu ascriptum habent, veluti Aug. I., Lips. II., omitti illud verbum posse non nego, sed cum verborum similitudinem, quae poterat esse caussa omissionis, id quod recte observavit Orellius, contemplamur eaque quae sequuntur verba: *saepe enim excellentiae quaedam sunt etc.* consideramus, vix videtur ab artis criticae regulis requiri, ut vocem illam abiiciamus, quae et in libris multis habetur et a sententiae ratione si non necessario requiri, ut saltem non repudiari videatur. conf. praeterea c. 20. §. 71.

Ibid. §. 70. *qui aliquamdiu propter ignorationem stirpis et generis in famulatu fuerint.* Hic libri optimi, ut Erfurtensis, Gudianus, Vindob. II. ceterique qui sunt praestantiores ac pene omnes *ignorationem* exhibent, Basileensis et pauci deteriores *ignorantiam*. quod cur reiiciendum sit, explicavi in *Emendatt. Tullian.* p. 23. ad orat. Cic., quae est *pro P. Flacco* c. 20. §. 46., ex quo loco eiicienda putabam haec verba: *ubi nihil possent discere nisi ignorantiam litterarum.* quamquam illud non possum concedere, quod

quidam contenderunt, unicum istum locum esse Tulli, ubi libri omnes tuerentur *ignorantiae* nomen, qua in re errarunt etiam novissimi Forcelliniani Lexici editores; legitur enim in omnibus quod sciam libris *ignorantiae* vox in *Academic. posterior.* lib. I. c. 11. §. 42. *errorem autem et temeritatem et ignorantiam et opinationem et suspicionem et uno nomine omnia, quae essent aliena firmae et constantis assensionis, a virtute sapientiaque removebat.*, quo in loco apparet esse illud verbum ita usurpatum, ut ignorationem, quae vituperanda sit, significet. non poterit igitur hoc loco neque orationis Flaccianae alienum supplementum defendi, neque falsa huius loci *de amicitia* scriptura, quod intelligens Tulli iudicium aliam vim ignorantiae voci, aliam ignorationis tribuit.

Ibidem. *Quod est multo profecto magis in veris patribus certisque faciundum.* miror quod etiam diligentiores critici hoc loco veram certamque optimorum librorum scripturam repudiarunt, Orellius enim et Gernhardus — Beierum enim in his rebus non miror esse falsum — ediderunt: *quod multo profecto magis etc.*, etsi optimi quique libri habent: *quod est multo etc.*, uti Gudianus, Erfurtensis, Vindob. II., Basileensis, Bernensis I., Bernensis II., Haen., Aug. I., Gottingensis, ceteri pene omnes. videturque *est* ob eam caussam eiectum esse, quod in libris quibusdam illatum erat *quidem*, quod optimorum librorum auctoritate remotum est. saepe enim factum est ut falsa interpolatio veram scripturam expelleret. praeterea vix est quod dicam aptissimum esse, verbum substantivum ad sententiam, quae huic loco subest, eo loco, quem obtinet in libris optimis, positum, quo esse illud faciundum vehementius affirmatur. deinde pro *certisque* in libris deterioribus quibusdam *ceterisque* scriptum est frequenti, ut ait Gernhardus, errore. quod cum notum sit omnibus, iure mirabar, quod fugerat vera scriptura criticos omnis in libro *de senectute* c. 20. §. 72. ubi ego primus Tulli manum restitui in his verbis ex praestantissimis libris et tantum non omnibus: *cum integra mente certisque sensibus opus ipsa suum eadem, quae coagmentavit, natura dissolvit.*, vid. annot. p. 152 sqq. saepissime autem in volgatis nostris Ciceronis libris manu scriptis pariter atque editis *certi, certorum etc.* in *ceteri, ceterorum etc.* depravata sunt, cf. *var. lect. libri Erfurtensis* ap. Wunderum ad orat. *pro Marcello* c. 6. §. 16. *pro rege Deiotaro* c. 4. §. 11.

Ibidem. *fructus enim ingeni et virtutis omnisque praestantiae tum maximus capitur, cum in proximum quemque*

confertur. hoc loco animadvertendum videtur esse, id quod saepe etiam diligentissimos interpretes fugit, Romanos aptius ea per genitivum coniunxisse, quae nos solemus per praepositiones declarare, atque ego vereor, ne plerique, qui nunc Latine scribant, si idem, quod Cicero dixit, dicendum esset, non dixerint: *fructus enim ingeni et virtutis tum maximus capitur*, sed: *ex ingenio enim et virtute omnique praestantia fructus tum maximus capitur*. quod non fecerunt Romani cum in aliis locutionibus tum in hac, quibus de rebus tum melius constabit, si opus quod paro ac meditor grammaticum exaedificavero. interea conf. Cic. *epistol. ad fam.* lib. V. ep. 2. §. 3. ed. Orell. *ego si hoc dicam me tua caussa praetermisisse provinciam, tibi ipse levior videar esse: meae enim rationes ita tulerunt atque eius mei consili maiorem in dies singulos fructum voluptatemque capio.*, ubi item nostri homines dicunt *atque ex eo consilio meo maiorem in dies singulos fructum voluptatemque capio*; quod autem Orellius hoc loco pro *mihi ipse* ex editionibus quibusdam contra librum Mediceum optavit *mihi ipsi* prodidit se et horum pronominum rationes, de quibus iam saepius explicavimus, et illius loci naturam parum perceptam habuisse.

Cap. XX. §. 73. *Tantum autem cuique tribuendum, primum quantum ipse efficere possis; deinde etiam quantum ille, quem diligas atque adiuves, sustinere.* Quod ego cum Orellio pro *tribuendum est* cum libro Erfurtensi, Basileensi, Vindob. II. aliisque edidi *tribuendum* abiecto verbo substantivo, id comprobatum esse video libro Gudiano, Aug. I., Aug. II. quod si optimorum librorum testimonium ut *est* abiiceretur flagitavit, etiam ii libri, qui *est* habent, in eo loco, quem verbo tribuunt, fluctuant, volgo enim post *tribuendam* legitur, in libris autem Vindob. I., Gottingensi aliisque scriptum est ante *tribuendum*; itaque etiam hac caussa *est* ab aliena manu adiunctum videtur esse. ne quis autem miretur me etiam levem hanc rem diligentius exposuisse, id idcirco faciundum putavi, quod idem verbum aliis locis, ubi neque librorum auctoritas optimorum neque sententia ipsa videbatur eius omissionem concedere, defendendum putavi. deinde vix est quod commemorem particulam *etiam* post *deinde* abiiciendum non esse, quam et optimi libri at plurimi tuentur et sententia facile fert. conf. quae supra explicavi ad c. 1. §. 1. p. 84 sq. et ad c. 19. §. 68. p. 185.

Ibidem. *non enim neque tu possis, quantumvis excellas, omnis tuos ad honores amplissimos perducere.* Sic pro volgato *non enim tu possis* primus *non enim neque tu possis*

scribendum duxi. illud enim quod volgo editur vix potest a Tullio profectum esse, libri enim permulti *neque* aut ante *tu* aut ante *possis* adiiciunt, quod cur exciderit, facile explicatu est, cur adiectum sit, difficile est. ac primum quidem libri Gudianus, Vindob. II., Bernensis, Lips. I., Oxonienses U, x., Goth. b., Palat. I., habent: *non enim neque tu possis,* quibus accedunt Palatinus II., qui habet: *non enim neque tu quantumvis possis*, et Gottingensis, in quo est scriptum: *non enim aliquis neque tu posses.* deinde libri Erfurtensis, Palatinus V., Lips. II. habent: *non enim tu neque possis.*, quorum scriptura etsi probari non posse videtur, tamen illud magnopere confirmat, quod ex ceteris libris, in quorum numero etiam optimi sunt, scribendum putavi: *non enim neque tu possis*, quod cum librarii non satis intellexissent, alii transposuerunt, *tu neque possis*, alii aliquid intulerunt tamquam supplementum, ut *aliquis*, quod est in libro Gottingensi factum, multi etiam omiserunt quam non intellexerunt particulam *neque*. qui autem factum, ut in tot libros eosque profecto optimos illa particula inferretur, si non esset profecta a Tullio? quod cum ita sit, videtur illud non reiiciendum esse, sed explicandum, quod librorum auctoritas flagitat. quod ita videtur optime posse fieri, si dicamus, id quod saepe Cicero fecit, hoc quoque loco factum esse, ut ab inchoata scriptura necdum profecta discederet, aliamque propter vim orationis atque impetum inciperet. coepit igitur hoc loco dicere: *non enim neque tu possis, quantumvis excellas, omnis tuos ad honores amplissimos perducere,* ac si tum pergere voluerit: *neque ille omnia, quae ei tribuere velis, possit sustinere;* ab hac tamen, quam volebat pergere, constructione ita recessit interiecta exempli mentione: *ut Scipio P. Rupilium potuit consulem efficere, fratrem eius Lucium non potuit*, ut cum prius missum faciendum existimaret, sic diceret: *quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen quid ille possit sustinere.* consimiles loci, ubi Tullius eodem modo ab inchoata structura recessit, multi sunt, quorum ego quosdam explicavi in *quaestt. Tullian.* lib. I. p. 7—18. maxime huc pertinet lib. *de orat.* I. c. 25. §. 113 sq. *nam et animi atque ingeni celeres quidam motus esse debent, qui et ad excogitandum acuti et ad explicandum ornandumque sint uberes et ad memoriam firmi atque diuturni: sed si quis est, qui haec putet arte accipi posse — quod falsum est; praeclare enim — naturae —, quid de illis dicet, quae certe cum ipso homine nascuntur? linguae solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam et figura totius oris et corporis.*, quibus in locis

quod Ferd. Handius *Tursellini* vol. II. p. 509 sq. mihi Augustoque Matthiae oblocutus est, id parum considerate fecit; quod alio loco uberius diligentiusque explicare constitui. illud autem hoc loco refellendum est, quod mihi in illo Tulliano loco, quem ascripsi, obiecit vir doctissimus, quem ego si gravius hic reprehendam, considerandum est et ipsum non admodum leniter me reprehendisse et in re facili tantopere falsum esse. ego sic explicaram istum locum, Tullium voluisse dicere: *nam et animi atque ingeni celeres quidam motus esse debent et corporis quaedam requiruntur vires.*, sed interiectis aliis verbis, quod saepe alias factum videmus, a coepta constructione recessisse, ut priori *et* non alterum quod sequatur respondeat, sed per particulas *sed si quis etc.* alia via orationis aperta sit. cui rationi ita occurrit Handius, ut diceret noluisse Ciceronem simul de corporis viribus aequale proferre argumentum, sed descendisse ad ea, quae nullam admitterent dubitationem, et si non ineptam, tamen non bene compositam esse hanc sententiam: nam et animi celeres quidam motus esse debent et alia sunt, quae certe cum ipso homine nascuntur. quorum omnium nihil verum est. nam quod ait Handius Ciceronem noluisse aequale proferre argumentum simul de corporis viribus, primum quaero unde illud sciat Handius, quod voluerit Cicero, deinde illud contendo et affirmo, eum qui volt ostendere maximam vim ad dicendum afferre naturam, non posse non ita argumentari, quem ad modum mea ratione argumentatus est Tullius; nam ad dicendi facultatem animi pariter atque corporis viris requiri sanus nemo negabit. si igitur Handius dixit Ciceronem noluisse ita argumentari, ego contra contendo eum debuisse ita argumentari. quod autem dixit non bene compositam hanc fore sententiam: *nam et animi celeres quidam motus esse debent, et alia sunt, quae certe cum ipso homine nascuntur*, etiam hac in re vehementer falsus est, nam ex ratione mea non erat Cicero illud dicturus, sed animi et corporis viris simpliciter commemoraturus, quod cum alio quodam modo instituisset, ab inchoata constructione recessit, quod ea ratio, quam erat ingressus, non bene composita videretur. itaque quod vir doctissimus sibi visus est contra me disputare, id dixit in rem meam. illud autem miror in Handio, non tam quod mihi inhumanius oblocutus est idque sine ulla idonea caussa, ut in censura eius libri etiam in aliis locis ostendam, quam quod id non potuit sine soloecismo facere, quem iam pueri erubescant, erubescat certe quidem grammaticus is, qui de particulis Latinis libros composuit. scripsit enim: *et nisi inepta, tamen*

non bene composita esset haec sententia, ubi nemo ignorat *si non* pro *nisi* a Latina consuetudine requiri.

Deinde *quantumvis excellas* scripsimus pro eo, quod Orellius receperat, *quamvis licet excellas*. *quantumvis excellas* habet Erfurtensis liber, Bernensis, Vindob. I., Haenel., Gottingensis multique alii libri, *quamvis excellas*, quod per se deterius non est, liber Gudianus, Vindob. II., Aug. I., Basileensis, Bernensis II. aliique. *licet* autem plerique libri omittunt. quam ob caussam etsi *quamvis licet* saepe alias coniuncta leguntur, tamen hoc loco recipiendam illam scripturam non putavi, neque vero *quamvis* anteferendum ei, quod pauciores libri habent, *quantumvis* arbitratus sum, quod saepius illud apud Tullium legitur quam hoc, quod videtur de industria in *quamvis* mutatum esse, ut est in libro Aug. II. ex glossemate receptum *quantumvis vel quamvis excellas*.

Ibid. §. 74. *Omnino amicitiae corroboratis iam confirmatisque et ingeniis et aetatibus iudicandae sunt, nec si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerunt, eos habere necessarios, quos tum eodem studio praeditos dilexerunt*. hic locus neque recte scriptus a novissimis criticis est neque recte explicatus. ac primum quidem omnes praeter Beierum ediderunt: *nec si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerint*, etsi et sententiae ratio et auctoritas optimorum librorum indicativum *fuerunt* requirit. libri enim Erfurt., Gudianus, Vindob. II. cum Vindob. I., Aug. I., Aug. II. aliique apud Beierum tuentur *fuerunt* videturque hic indicativus locum suum recte obtinere, quoniam haec res non debebat ab oratione obliqua suspendi. illud autem difficilius est reliqua verba, quae recte scripserunt critici, non recte explanarunt, explicare. ille enim infinitivus: *nec — eos habere necessarios*, non videtur habere, unde suspensus sit. quam ob caussam iam veteres critici aut *oportet* aut *decet* aut etiam *debent* adiiciendum putarunt: *nec oportet si qui etc.* volgata scriptura ante Gernhardum fuit, Goth. b. et Gotting. habent: *nec — eos habere decet*, Oxon. I. *habere necessarios debent*, Guilielmius denique in Carthusiano reperisse dicitur: *eos habere necessarios*. haec omnia e glossematis orta esse iure Gernhardus arbitratus est eumque secuti sunt Beierus atque Orellius: libri enim optimi ac plurimi, Erfurt., Gudianus, Vindob. II., quibus accedunt Vindob. I., Haen., Aug. I., Aug. II., Basileensis, Bern. I., Bern. II., alii multi apud Gernhardum et Beierum, nihil istorum glossematum habent. Quod cum ita sit, dubitari plane non potest quin recte critici hunc locum constituerint. At quem ad modum accipienda haec

verba duxerunt? Gernhardus quidem ita explicanda duxit, ut ad istum infinitivum ex eo, quod praecedit, *iudicandae sunt*, assumendum esset *iudicandi sunt*, ut hanc haberes sententiam: *nec si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerunt, eos habere iudicandi sunt necessarios etc.*, quod quam falsum sit, apparet, quoniam verba *eos habere necessarios* cum Gernhardo ita accipienda erunt: *necessitudine cum iis iuncti esse, quos etc.* at quis quaeso sic haec verba accipiet? aut quis non ineptam dicet hanc sententiam: *nec si qui — fuerunt, iudicandi sunt eos habere necessarios, quos tum eodem studio praeditos dilexerunt?* quare verius illud est, nec tamen verum, quod Beierus ex verbis *iudicandae sunt*, nihil aliud voluit sumi, nisi: *iudicandum est*, ita ut accusativus *eos*, quem passivum habuit Gernhardus, activus esse videatur et verbum *habere* suam vim obtineat. sed etiam sic magna difficultas in eo est, quod istud verbum in neutrum mutatur et tamen ambagibus utimur, ut ad eam, quam volumus, sententiam perveniamus. simplicissimum igitur ac facillimum illud est, ut dicamus hanc constructionem esse, ut saepe alias in Graecis pariter atque in Latinis, non ex verbis, quae scripta sunt, sed quae cogitatione tacita supponuntur, factam. pro eo igitur quod debebat scribi: *omnino amicitiae corroboratis iam confirmatisque et ingeniis et aetatibus iudicandae sunt, nec si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerunt, ei habendi sunt necessarii, quos tum eodem studio praeditos dilexerunt.*, scripsit Tullius, ita ut ex verbis *iudicandae sunt* notionem eius quod fieri oporteret assumeret, atque ex verbo eo, quod animo obversabatur, *oportet*, *decet etc.*, reliquam orationem suspenderet: *omnino amicitiae corroboratis iam confirmatisque et ingeniis et aetatibus iudicandae sunt, nec si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerunt, eos habere necessarios, quos tum eodem studio praeditos dilexerunt.* idque hoc minus debet mirum videri, quod haec constructio in Graeca lingua pene recepta fuit multumque usitata, conf. quem locum falso quidam critici constituerunt, Aeschinis orat. *in Timarch.* p. 1. ed. H. Steph. orat. I. §. 5. ed. I. Bekk. φυλακτέον δὴ τοῖς μὲν ὀλιγαρχικοῖς καὶ τοῖς τὴν ἄνισον πολιτείαν πολιτευομένοις τοὺς ἐν χειρῶν νόμῳ τὰς πολιτείας καταλύοντας, ὑμῖν δὲ τοῖς τὴν ἴσην καὶ ἔννομον πολιτείαν ἔχουσι τοὺς παρὰ τοὺς νόμους ἢ λέγοντας ἢ βεβιωκότας κολάζειν, ubi immerito in infinitivo κολάζειν haesitarat Bekkerus. conf. Platonis *Critonis* p. 51. C. ed. H. Steph. πανταχοῦ ποιητέον, ἃ ἂν κελεύῃ ἡ πόλις τε καὶ ἡ πατρίς, ἢ πείθειν αὐτὴν ᾗ τὸ δίκαιον πέφυκε.,

ubi ex verbo ποιητέον supplendum videtur esse ad πείθειν verbum quale est δεῖ, quasi si praecesserit ποιεῖν δεῖ, conf. quae annotavit Ph. Buttmannus ad h. l. et Heindorf. ad Plat. *Gorgiam* §. 104. et Struve in Seebodii et Friedemanni *Miscellan. critic.* Vol. II. p. II. p. 283 sq.

Ibid. §. 75. *Et saepe incidunt res magnae, ut discedendum ab amicis sit.* sic scripsi ex libro Erfurtensi pro volgata verborum collocatione: *et saepe incidunt magnae res, ut discedendum sit ab amicis,* sed cum alii libri iique sane praestantes libro Erfurtensi nullo modo assentiantur, iam eum verborum ordinem, qui ante me erat, comprobandum existimo, etsi video Beierum ipsum quoque istam, quam ego eram ingressus, rationem commendavisse.

Cap. XXI. §. 76. *Est etiam quaedam calamitas in amicitiis dimittendis non numquam necessaria.* hic irrepsit quaedam scriptura in omnis pene editiones, quae videtur nulla plane librorum auctoritate niti, atque haut sciam an ex errore quodam typographi orta sit. volgo enim *quaedam* inter et *calamitas* interponitur particula *quasi,* quae ab libris omnibus uno consensu repudiatur. libri enim Erfurt., Gudianus, Vindob. II., Basileensis, Bernensis uterque, Vindob. I., Haen., Aug. I., Aug. II., Gottingensis, omnes Beieri libri, omnes Gernhardi, Langii, aliorum, quicunque libros inspexerunt, *quasi* omittunt, certum autem etiam illud videtur esse libros Oxoniensis et Manutianos, de quibus non constat, particulam istam non habere. quae etsi non inepta esse videatur ad hunc locum, tamen iam propter unum omnium librorum consensum removenda est. itaque recte egit Beierus, quod cum Ed. Wundero *praef. ad var. lect. e cod. Erf. enot.* p. CXXIV. particulam omisit, cuius significatio hoc loco eo minus necessaria est, quod si excusandum erat vocabulum calamitatis, id iam declaratur pronomine *quaedam,* quod cum calamitatem non patiatur tam definite dici, eamdem vim in orationem infert.

Ibidem. *erumpunt saepe vitia amicorum tum in ipsos amicos tum in alienos.* sic *tum — tum* optimi quoque libri, ut Erf., Gud., Vindob. II., Basileensis, Bern. aliique scriptum habent neque ulla potest esse dubitatio, quin hoc praeferendum sit ei, quod Beierus edidit *cum — tum,* neque enim est: *sowohl — als auch,* verum: *bald — bald.* conf. quae rectissimo iudicio de his particulis explicavit R. Stuerenburgius ad orat. Cic., quae est *pro Archia poet.,* c. 12. §. 31. p. 165.

Ibidem. §. 77. *Sin autem aut morum aut studiorum*

commutatio quaedam, ut fieri solet, facta erit etc. hoc loco *aut* particulam ante *morum* non solum propter optimorum librorum auctoritatem, verum etiam propter ipsam, quae huic loco subiecta est, sententiam recepimus. *sin autem aut morum aut studiorum* habent Erf., Gud., Vindob. II., Basileensis, Aug. I., Aug. II., Gotting., Vindob. I., Haen., Oxon. E, U, η, π, σ. Dresd. b., Vim., Goth. b., alii apud Beierum. est autem hoc librorum testimonium eo minus reiiciendum, quod quem ad modum ex paucis eisque deterioribus libris eiecta sit particula, facilem habet ex litterarum similitudine explicatum, qui autem factum sit, ut in plurimos ac sane optimos libros illa particula, si non esset profecta ab ipso Tullio, irrepserit, nullo modo potest intelligi. huc accedit, quod etiam ad hunc locum illa particula accommodatissima est, quia iam singularum rerum earum, quae per has particulas inducuntur, commutatio poterat illud efficere, quam ob caussam recte repetitur particula *aut*. solent enim Romani diligentiores esse in his rebus definiendis, quam nos fere facimus, conf. quae ego uberius hac de re exposui ad lib. *de senectute* c. 23. §. 82. *nonne multo melius fuisset otiosam aetatem et quietam sine ullo aut labore aut contentione traducere?*, ubi ante me legebatur: *sine ullo labore et contentione*, et Fr. Aug. Wolf. ad Cic. *Tuscul. disputt.* lib. I. c. 1. §. 1. p. 326. ed. Orell.

Ibidem. *ne non solum amicitiae depositae, sed etiam inimicitiae susceptae videantur.* hoc loco miror quod libri neglecti optimi sunt sine ulla caussa a novissimis editoribus. pro eo enim, quod volgo legitur: *sed inimicitiae etiam susceptae videantur*, habent libri Erfurtensis, Gudianus, Vind. II., Basileensis, Bernensis, Aug. I., Aug. II. alii: *sed etiam inimicitiae susceptae videantur*, quod erat recipiendum. nam quod Beierus omisit particulam *etiam*, id non recte profecto fecit, primum quod in optimis libris uno eodemque loco omnibus habetur, deinde quod cur transposita esse videatur explicari plane potest. ii enim *etiam* transposuerunt, qui putabant eam particulam pertinere ad *susceptae*, ita ut *susceptae* et *depositae* inter se opponerentur, quod secus videtur esse. hoc autem loco *amicitiae* et *inimicitiae* sese in oppositionis ratione excipiunt, quapropter recte scriptum est in libris melioribus: *ne non solum amicitiae depositae, sed etiam inimicitiae susceptae videantur.*

Ibid. §. 78. *et hic honos veteri amicitiae tribuendus, ut is in culpa sit, qui faciat, non is, qui patiatur, iniuriam.* hoc loco quod liber Vindob. II. pro *honos* habet *honor*, du-

bitare non potest qui Ciceronis sermonem cognitum habet, quin postponendum hoc sit ceterorum librorum scripturae. recte autem a novissimis editoribus ex libri Erfurtensis auctoritate, cui apud me accedunt Gudianus, Vind. II., Aug. II., Haenel., scriptum est *tribuendus* omisso verbo substantivo *est*. denique illud recte factum ab eisdem, quod *non is qui patiatur* ex libris melioribus, Erf., Basil., Berneus., Oxoniensibus E, I, U, ν, ο, σ, ψ, aliis ediderunt pro volgato *non qui patiatur*, mirorque quod Orellius istam volgatam scripturam in annotatione denuo commendavit. libri nostri Gudianus, Vindob. uterque, Aug. I., Aug. II., Gottingensis uno consensu *is* tuentur, quod iam propter verba, quae praecedunt *ut is in culpa sit qui faciat* praeferendum est. conf. supra c. 16. §. 59. *quonam enim modo quisquam amicus esse poterit eius, cui se putabit inimicum esse posse?*, ubi idem ego ex eisdem libris pronomen *eius* recipiendum putavi; neque enim haec videntur ex glossematis nata esse, sed partim propter compendia scribendi partim negligentia librariorum oblitterata.

Ibidem. *una cautio est atque una provisio, ut ne nimis cito diligere incipiant neve non dignos.* hoc loco etiam inter optimos libros magna discrepantia est de verbis *neve non dignos.* alii enim ut Gudianus, Basileensis, Bernensis uterque, Vindob. I., Haen. habent *neve indignos*, alii, ut Erfurtensis et Vindob. II., volgatam scripturam confirmant. quam ob rem cum in re levi libris iudicium nostrum non iuvetur, id puto praeferendum, quod et facilius mutari potuisse videtur, — facile enim *n̄ dignos* in *indignos* depravari potuit —, et ad huius loci sententiam affert quandam gravitatem.

Ibid. §. 80. *Ita pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia per se et propter se expetita. expetita* pro volgato *expetenda* habent optimi libri Erfurtensis, Vindob. II., Gudianus, quibuscum alii etiam libri apud Beierum et Gernhardum consentiunt, dubitarique nullo modo potest quin haec scriptura asciscenda sit. nam etsi saepe expetendum id dicitur a Tullio, quod propter naturam suam optandum videtur, tamen hoc loco videtur aliquando aptius esse perfectum, quo dicitur illa pulcherrima et maxime naturalis esse, quae per se et propter se sit expetita, i. e. quae per se et propter se ab expetentibus vicissim inita atque coniuncta sit. quam ob rem de optimorum librorum auctoritate deficere non poteramus hoc loco.

Ibidem. *nec ipsi sibi exemplo sunt qualis et quanta sit.* sic volgo haec verba eduntur, at in libris quibusdam alia est

scriptura, cuius Orellius ne mentionem quidem fecit. libri enim Aug. I., Vindob. I., Haenel., Goth. a. — idem est in Aug. II; sed expuncta *et* particula — habent: *et qualis et quanta sit*, quam scripturam etiam ii libri confirmare videntur, in quibus est: *amicitiae est qualis et quanta sit,* ut Gudianus habet et Gottingensis. sed tamen videntur ceteri libri, qui priore loco omittunt particulam, sequendi esse, ista autem particula ex extrema nominis *amicitiae* syllaba nata.

Ibidem. *non ut aliquam ipse a se mercedem exigat caritatis suae.* sic in libro Erfurtensi collocata haec verba sunt, sed cum alii libri, qui postea cogniti a me sunt, volgatum verborum ordinem servant, iam censeo rescribendum: *a se ipse; a se ipso* enim, quod est in quibusdam libris, recipiendum non est, conf. quae supra scripsi ad c. 1. §. 5. p. 93 sq.

Ibid. §. 81. *primum ut ipsae diligant se.* sic liber Erfurtensis collocata haec verba habet, volgo autem legebatur: *ut se ipsae diligant,* pro quo Vindob. II. exhibet *se diligant ipsae*, alii habent: *ut se ipsi diligant*, veluti Pithoeanus, Oxon. ψ, Ciz. A. hinc videtur recte collegisse Beierus, cum bonis libris omittendam esse particulam, quam non habent Gudianus, Aug. I., Aug. II., Goth. b., Ciz. B., Vimar., Oxon. κ, ν, π, σ. at tamen assentiri ob eam caussam dubitavi, quod saepe videmus istud pronomen in libris etiam optimis omissum, quum scripturae compendium in caussa esset, ut oblitteraretur. cf. lib. *de senectute* c. 18. §. 62. ubi ex libro Parisino optimo rescribendum duxi: *sed honeste acta superior aetas fructus auctoritatis capit ipsa extremos*, cum esset pronomen *ipsa* in omnibus libris abiectum. cf. quae ad istum locum annotavi p. 134. atque ita etiam infra c. 22. §. 82. videtur in his verbis: *par est autem primum ipsum esse virum bonum*, iniuria ex libris Gudiano ac paucis aliis excidisse. illud autem hoc loco negare non possum omisso pronomine *ipsae* maiorem vim esse in pronomine *se, primum ut se diligant,* quae verborum collocatio tum erit asciscenda, quod pronomen respondet ei, quod sequitur, *ut requirant atque appetant ad quas se applicent eiusdem generis animantis.*

Cap. XXII. §. 82. *Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, talem habere amicum volunt, quales ipsi esse non possunt.* sic scripsi ex libri Erfurtensis testimonio pro volgato: *amicum habere talem volunt.* sed nunc iam pene adducor, ut *habere* aliunde irrepsisse in hunc locum cum Goerenzio ac Beiero existimem. libri enim optimi alius alio loco verbum istud habent et ab Erfurtensi ita discedit Gudianus, ut exhibeat: *talem amicum habere volunt*, quod habet etiam

Aug. I., Vindob. II., alii apud Gernhardum et Beierum, Vindob. autem scriptum habet: *habere talem amicum volunt,* quocum consentit Aug. II. aliique libri. Beda denique ac liber Gottingensis *habere* prorsus omittunt. atque etiam si in libro Gottingensi id antiqua auctoritate non videtur factum, quod is liber et recentior et deterior est, tamen et carere possumus illo verbo et diversa eius collocatio librorum eorum, qui tuentur, auctoritatem infirmat.

Ibid. §. 85. *cum iudicaris, diligere oportet, non cum dilexeris, iudicare. iudicaris* pro volgato *iudicaveris* scripsi ex libris Vind. II., Basileensi, Gotting., Aug.. II., in quo *iudicaris* tamen ab altera manu in *iudicaveris* mutatum est.

Ibidem. *nam implicati ultro et citro vel usu diuturno vel etiam officiis repente in medio cursu amicitias exorta aliqua offensione dirumpimus.* hoc loco assentiri Beiero nullo pacto possumus, quod tenui librorum auctoritate ac potius nulla pro *ultro et citro* scribendum praecepit *ultro citro,* nam et optimi libri receptam scripturam confirmant neque sententiae ratio alteram requirit. *ultro et citro* uno consensu defendunt Erfurt., Vindob. II., Gudianus, Basileensis, Bernensis, Aug. I., Aug. II., Gottingensis, Haenel., reliqui pauci iique deteriores uti fere semper, sic etiam hoc loco turbant. deinde pro volgato *dirumpimus* Gudianus, Vindob. II., alii habent *disrumpimus,* quod videtur anteferendum. conf. lib. *de officiis* III. c. 5. §. 21. *si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quae maxime est secundum naturam, humani generis societatem.,* ubi optimi libri *disrumpi* confirmant. lib. *de divin.* II. c. 19. §. 44. *cum autem se in nubem induerint eiusque tenuissimam quamque partem coeperint dividere atque disrumpere etc.* ubi nulla videtur esse in libris scripturae discrepantia. quamquam aliis locis apud Tullium etiam altera forma saepe legitur. veluti *epistol. ad Attic.* lib. IV. ep. 16. lib. VII. ep. 12. *ad fam.* lib. VII. ep. 1. lib. XII. ep. 2.

Cap. XXIII. §. 86. *Quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariae tanta incuria.* ne quis illud probandum existimet, quod dicitur in quibusdam libris esse: *tam maxime necessariae,* dico ego omnis, quicunque accurate collati sunt libri, *tam* ante *maxime* omittere. itaque illud videtur aut non esse in ullo libro aut in deteriores quosdam libros librari errore illatum. nam etsi quodam modo defendi possit scriptura, id quod conatus est Ernestius in *Clavi Ciceron.* s. h. v. alio loco, qui legitur in *orat. Philipp.* XII. c. 5. §. 11. *nondum erat vestris tam gravissimis tamque multis iudiciis*

ignominiisque concisus: nunc ea petit, quae dare nullo modo possumus etc., tamen temerarium sit illam hoc loco sine ullo librorum testimonio asciscere. nam quod Santenius ad Terentianum p. 17., quem laudavit Orellius, in codice suo ait relictam esse pro voce *tam* lacunam, id poterit primum etiam alia re factum esse, deinde quaeri debet, quam antiquus quamque bonus sit ille liber, quem diligentius non descripsit Santenius.

Ibidem. *quamquam a multis virtus ipsa contemnitur.* pro volgato *ipsa virtus* optimi libri Erfurtensis, Vindob. II., Gudianus, Bernensis, Aug. I., alii libri multi *virtus ipsa* habent, qua verborum collocatione magis etiam virtutis notio ecfertur, quapropter non dubitavimus eam reponere.

Ibid. §. 87. *quin etiam si quis asperitate ea est et immanitate naturae etc.* sic libri optimi ut verba collocarentur postularunt, quorum plerique pro volgato *ea asperitate est*, scriptum habent *asperitate ea est*, ut Erfurtensis, Gudianus, Vindob. II., Basileensis, Aug. I., Aug. II., Gottingensis, aliique Gernhardi ac Beieri libri, eamque scripturam etiam ii libri tuentur, qui male intellecto verbo *congressus* exhibent: *asperitatem eam est et immanitatem naturae congressus, ut etc.*, veluti Vindob. I., Haenelianus, alii. pauci libri volgatum verborum ordinem defendunt, qui etiam ideo posthabendus est ei, quem recepimus, quod non tam bene pronomen *ea* ad illud quod sequitur *ut* referri poterit, totaque sententiae ratio longe melius patet, si *ea* postponimus priori substantivo.

Cap. XXIV. §. 88. *Sed cum tot signis eadem natura declaret quid velit, anquirat, desideret, tamen obsurdescimus etc.* sic hoc loco cur optimorum librorum auctoritate scripserimus, explicatum supra est ad c. 3. §. 12. p. 106. nihilque addendum est nisi quod videmus eodem modo quo Bernensem librum corruptum etiam Gudianum optimum, in quo ipso quoque *tamen* non apparet, quod quin compendii caussa omissum sit, dubitari non potest. libri autem optimi hoc loco eam, quam recepimus, verborum collocationem tuentur, uti Erfurtensis, Vindob. II., Basil., Aug. I., Aug. II., Gotting., Vind. I., Haenel., Bern. II., alii Gernhardi ac Beieri libri.

Ibidem. *Una illa sublevanda offensio est, ut et utilitas in amicitia et fides retineatur; nam et monendi amici saepe sunt et obiurgandi et haec accipienda amice, cum benevole fiunt.* sic libri, qui excussi sunt, omnes hunc locum scriptum habent nec dubium esse ullo pacto potest quin, quod dicitur esse in duobus Aldi libris: *ut et veritas in amicitia et fides retineatur*, ortum ex glossemate sit, quod etiam inde concludi potest, quod *veritas* verbo *utilitas* in libro Bernensi altero

super scriptum est. libris olim collatis accedunt etiam Gudianus, Aug. I., Aug. II., Gottingensis Quod cum ita sit, recte videtur fecisse Beierus, quod hanc scripturam mutandam non existimavit, mirorque quod Orellius non solum non adoptavit eam scripturam, verum etiam prorsus contempsit, quae etsi non recte est explanata a Beiero, tamen aptissimam ad hunc locum sententiam habet. ac Beierus quidem: *Retinetur* inquit, *utilitas in amicitia, quem ammonitiones et obiurgationes benevolorum familiarium, verum dicentium amice accipiuntur*, *cfr.* §. 90. *initio.* id non recte dictum esse vel inde apparet, quod etiam in sequentibus duae res, quarum offensio evitanda sit, significantur, itaque utilitas alio spectare debet, alio fides, quod recte sensisse videtur Orellius, qui tamen quod dixit: *Audirem* (Beieri explicationem), *si utilitas amicitiae in toto hoc libro non significaret potius externa commoda, quae ex amicis percipiuntur,* et falsus in re est neque hunc locum recte percepit. nam utilitatem non semper de externis commodis dici notum est omnibus atque etiam supra c. 23. §. 86. de externa utilitate per se cogitari non potest, cum dicitur: *una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt.* quod autem sic pergit: *Nec vero recte componitur utilitas et fides, vox, ut ita dicam, altera passiva, altera activa,* id fateor me ne intelligere quidem. namque eam vocem, quam videtur Orellius habuisse pro passiva, credo ego activam vim habere, eam autem, quam activam putavit, passivam; idque hec loco rectissime fit. Cicero enim cum scripsit: *una illa sublevanda offensio est, ut et utilitas et fides retineatur,* etsi vix quidquam aliud poterat subiici huic sententiae, nisi hoc, utilitatem esse eius amici, qui studeat utilis esse amico, fidem autem eius, qui id, quod utilitatis affertur, accipit, tamen putavit haec verba etiam uberius explicanda addiditque: *nam et monendi amici saepe sunt et obiurgandi et haec accipienda amice, cum benevole fiunt.,* quibus verbis etiam clarius est, utilitatem eius esse, qui monendo et obiurgando prodest amico, fidem autem eius, qui haec amice accipit, cum benevole fiunt. utilitas autem in amicitia non retineretur, si alter, ad suspiciones offensionesque evitandas, neque moneret nec obiurgaret amicum, fides autem negligeretur, si haec non acciperet amice alter. itaque utilitas active dicitur, de eo, qui aliquid agit, ut prosit amico, fides passive de eo, qui id accipit bona fide.

Ibid. §. 89. *In obsequio autem, quoniam Terentiano verbo lubenter utimur, comitas assit, assentatio vitiorum adiutrix procul amoveatur etc.* sic haec verba scripta habent

libri et plurimi et longe optimi, veluti Erfurtensis, Vindob. II., Gudianus, Basileensis, Bernensis uterque, Aug. I., Aug. II., Gottingensis, ceteri pene omnes. recteque explicavit hanc sententiam Orellius: *eo autem fine coerceri debet obsequium, ut quod dicas faciasque, comitas rite appellari possit; numquam autem progrediatur ad assentationem vitiosam.*"

Ibid. §. 90. *Cuius autem aures clausae veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est.* miror hoc loco quod Orellius optimos libros neglexit in verbis collocandis. libri enim Erfurtensis, Bernensis, quibus etiam accedunt Vindob. II., Haen., Gudian., Aug. II., Gottingensis, alii apud Gernhardum et Beierum, pro volgato: *aures veritati clausae sunt*, scriptum exhibent: *aures clausae veritati sunt.*, quod quin a Tullio profectum sit non potest dubitari, cum non sine quadam sententiae gravitate his in locis verbum substantivum non cum participio, sed cum nomine substantivo coniungatur. si enim dicitur: *cuius aures veritati clausae sunt*, verba *clausae sunt* unam efficiunt notionem, sin dicitur: *cuius aures clausae veritati sunt*, tum verba *clausae veritati* potius coniunguntur et illud *sunt* tamquam orationis copula adiectum est; quam rationem locis etiam aliis multis taciti secuti sumus, veluti c. 25. §. 92., ubi contra scribendum duximus: *cum autem omnium rerum simulatio vitiosa est*, ex libris optimis, cum volgo legeretur *est vitiosa*. illud enim, quod est in libro Erfurtensi, Gudiano, Vindob. I., Vindob. II., Aug. I., Aug. II., Bernensi aliisque *vitiosa est* unam efficit notionem idemque est ac *nocet*. quod autem Goerenzius in censura l. l. p. 314. ait propter asseverationem *vitiosa est* scribendum esse, id, si recte intelligo, tam falsum est, quam quod visum est Beiero, qui ut scripturam *vitiosa est* reiiceret, duas attulit caussas. „*vetat*, inquit, *ut mihi quidem videtur, tum* [*cum*] *oppositorum inter se responsio, tum vocabuli, ad quod proxume applicatur parenthesis, cum hac ipsa nexus.*" quae argumentatio tam inanis est, ut verbis eam refellere non opus esse videatur. nam oppositorum inter se responsio non modo non vetat, verum etiam postulat, ut *vitiosa est* scribatur. nam cum *repugnat* opponatur, tum demum revera esset scribendum *est vitiosa*, si pro *repugnat* scriptum esset *est repugnans*. quod autem parenthesin dixit, in ea eodem modo *tollit et adulterat* scriptum est, non *est tollens et adulterans*. quod cum ita sit, oppositio *repugnat* postulat potius *vitiosa est*.

Cap. XXV. §. 93. *ut ait idem Terentius, sed ille in Gnathonis persona, quod amici genus adhibere omnino levi-*

tatis est. hic videtur glossema in editiones omnis irrepsisse, quod detectum nondum esse ab hominibus doctis eo magis mirabar, quia sine ulla difficultate poterat res confici. libri enim quorum hac in re auctoritas est, omnes glossema illud respuunt ac pro *sub Gnathonis persona*, uti volgo legitur, scriptum habent: *in Gnathonis persona*, uti Erfurt., Vind. II., Gudianus, Basileensis, Bernensis uterque, Aug. I., Aug. II., Gottingensis, Haenel., omnes Beieri libri, Oxon. E, I, U, *o*, *v*. Pithoeanus, Goth. uterque, Ciz. A., Ciz. B. alii apud Gernhardum, neque quae sunt in quibusdam libris corruptelae, *sub* praepositionem tuentur, sed potius *in* commendant. hinc apparet, si libros consideramus, asciscendam esse hanc scripturam. at Gernhardus: *lectio in persona*, inquit, *aut Germanismum redolet*, *aut alienam ab hoc loco vim habet.* quae opinio quam sit falsa, ostendi in *praef. Laeli edit. Büchling. tert.* p. XX. conf. *pro Rosc. Comoedo* c. 7. §. 20. *qui quam ob rem Roscium similem sui in fraude et malitia existimavit, nihil videtur, nisi forte quod praeclare hunc imitari se in persona lenonis animadvertit.* et *epistol. ad fam.* lib. VII. ep. 33. §. 2. ed. Orell. *mihi enim iudicatum est, si modo hoc Caesar patietur aut volet, deponere illam iam personam, in qua me saepe illi ipsi probavi etc.* cf. denique R. Stuerenburgium ad orat. Cic. *pro Archia poeta* c. 10. §. 25. p. 151., qui rationem meam comprobavit. illud autem iam supra docuimus falsos eos esse, qui in verbis his *quod amici genus* nomen *amici* omittendum existimarent aut *amicitiae* pro eo ex libris deterioribus scribi vellent, conf. ad c. 13. §. 49. p. 165. et ad c. 16. §. 56. p. 174.

Ibidem. §. 96. *Ita re magis quam summa auctoritate caussa illa defensa est.* ante *auctoritate* nomen adiectivum *summa*, quod volgo reiectum est, adiiciunt omnes pene libri, uti Erfurtensis (errat Orellius), Vindob. II., Gudianus, Basileensis, Bernensis, Aug. I., Aug. II., Gottingensis, Vindob. I., Haenel., omnes fere Beieri libri, Oxonienses *η*, *ν*, *ο*, *ϱ*, *ψ*., Pithoeanus, omnes Palatini, quattuordecim Aldi N., Goth. uterque Vim., Ciz. A., Ciz. B., Dresd. b. si autem in paucis libris iisque deterioribus *summa* scriptum non est, iam supra significavi ad c. 6. §. 20. p. 121. istud verbum propterea esse saepe eiectum aut oblitteratum, quod compendio quodam scriberetur. quod cum ita sit, credo me id effecisse, ut si librorum auctoritatem spectemus, de isto verbo recipiendo non posse dubitari videatur, modo quae his verbis subiecta sententia sit, id non repudiet. at tantum abest ut sententia istud *summa* non ferat, ut mihi quidem id etiam postulare

videatur. nam si diceretur simpliciter: *Ita re magis quam auctoritate caussa illa defensa est*, haec eorum verborum sententia esset: hoc modo re ipsa magis quam auctoritate res illa defensa est, nec quidquam ita significaretur, quod maius esset quiddam atque admirabilius. neque enim semper auctoritas vincit rem. sin dicitur: *Ita re magis quam summa auctoritate caussa illa defensa est*, tum aliquid dicitur, quod non semper fieri soleat, quod re ipsa non tenuem et parvam, sed gravissimam et maximam auctoritatem vicerit; quod quidem sane erat quod Laelius tamquam memorabile atque admirandum afferret. summa enim profecto erat C. Licini Crassi auctoritas, quam Laelius a se modeste ait re, non auctoritate sua, victam esse.

Cap. XXVI. §. 97. *Quod si in scena, id est in concione, in qua rebus fictis et adumbratis loci plurimum est etc.* quod saepe dixi perniciosum fuisse arti criticae, ut cum uno loco aliquid verum atque non dubium esse invenissent, id etiam ad alios locos, a quibus id esset alienum, transferrent, id videmus etiam hoc loco criticos in errorem induxisse, qui cum exploratum haberent formula *id est* saepe glossemata introducta esse ab librariis, hoc quoque loco verba, *id est in concione*, ex glossemate nata existimarent, quae verba abesse non possunt. praeter enim quam quod in omnibus libris uno consensu habentur, etiam a sententia ipsa requiruntur. nam verba *si in scena, in qua rebus fictis et adumbratis loci plurimum est*, abiectis illis *id est in concione*, neque de ipsa theatri scena intelligi possunt neque de concione. ne de theatri scena accipiantur, ea impediunt, quae ante de concione explicata erant, ne de concione accipiantur, impediunt verba ipsa, concio enim per se scena dici non potest, nisi id fit in comparatione. ita necessario requiritur, ut verba *id est in concione* retineamus, quae ratio etiam defenditur eo loco, quem attulit Orellius *Paradox. prooem.* §. 4. *quae quia sunt admirabilia contraque opinionem omnium, ab ipsis etiam* παράδοξα *appellantur, tentare volui, possentne proferri in lucem, id est in forum, et ita dici ut probarentur, an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio.* quod autem in quibusdam libris *id est* illo loco depravatum in *idem* est, in aliis prorsus omissum, uti in Gottingensi, id quem ad modum per compendium fieri potuerit, explicatum iam supra est ad c. 18. §. 65. p. 181.

Ibidem. *Quamquam ista assentatio quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei qui eam recipit atque ea delectatur.* hoc loco vehementer falsus est Orellius quod ex uno libro Basileensi pro volgato *atque ea delectatur* scri-

psit *atque in ea delectatur*. nam etsi intelligi potest dici posse *in aliqua re delectari*, quod est in aliqua re cum delectatione versari, et esse factum locis quibusdam ostendi, cf. lib. *de legg* II. c. 17. §. 17. *et in hoc admodum delector* quaeque Goerenzius ad h. l. annotavit p. 126., tamen vix potest esse dubium quin hoc loco *in* adiectum ex glossemate sit; primum quod in uno tantum libro scriptum est, deinde quod saepe est haec praepositio in similibus locis adiecta a librariis sine ulla caussa idonea. conf. c. 18. §. 65., ubi eodem modo erravit Beierus, quod ex libro deteriore quodam edidit: *ut ne in criminibus aut inferundis delectetur aut credat oblatis*, ubi ceteri libri *in* recte omittunt. c. 23. §. 86., ubi ne Beierus quidem ausus est edere ex libris malis: *qui in rerum cognitione doctrinaque delectantur*, recteque etiam Orellius volgatam scripturam: *qui rerum cognitione doctrinaque delectantur*, retinuit. si autem Orellius hoc dicat in ceteris locis se propter librorum auctoritatem *in* praepositionem repudiavisse, hoc autem loco propter Basileensis libri praestantiam recepisse, neque tam bonus ille liber est nec optimis in his rebus reliquis non assentientibus multum tribuendum. libri enim Erfurt., Vind. II., Gud., Bern., Vind. I., Aug. I., Aug. II., Gottingensis aliique multi *in* praepositionem non habent.

Ibid. §. 98. *Nec parasitorum in comoediis assentatio faceta nobis videretur, nisi essent milites gloriosi.* hoc loco *faceta nobis videretur* scripsimus, non quod falsam per sese putaremus eam scripturam, quae est in quibusdam libris, *faceta videretur*, sed quod nulla videretur caussa esse, cur ab optimorum librorum auctoritate descisceremus. libri enim, quorum summa debet esse fides, Gudianus, Erfurtensis, Vindob. II. (is habet *facta nobis videretur*) eam scripturam, quam recepi, tuentur. alii habent *nobis faceta videretur*, uti Vindob. I., Haenel., alii pronomen *nobis* prorsus omittunt, uti Bernensis et Basileensis. hinc collegerunt critici aliunde istud irrepsisse, quod ita esset verisimilius, si optimi libri pronomen omitterent. illud autem pronomen si per compendium scriptum erat, facillime poterat librariorum incuria excidere. ad sententiam quod attinet, etsi omitti illud pronomen possit, tamen videtur sine huius loci detrimento vix posse abesse, cum nulla sit caussa cur Laelius noluerit significare, se ipsum quoque in eorum numero esse, quibus, si has fabulas spectarent, faceta parasitorum persona videretur. quin valde placet, quod loquentis cunctos harum fabularum spectatores fecit.

Ibid. §. 99. *Quam ob rem quamquam blande ista vanitas apud eos valet, qui ipsi illam allectant atque invitant;*

tamen etc. hoc quoque loco optimorum librorum auctoritas immerito neglecta est, pro *quamvis* enim optimi libri *quamquam* habent, Erfurtensis, Vindob. II., Gudianus, quibus accedunt etiam Bernensis uterque, Basileensis, Vindob. I., Haenel., Aug. I., Aug. II., Pithoeanus, Goth. b., Ciz. A., Ciz. B., Dresd. b., Oxon. E, I, U, η, ν, ο, σ, ψ. videturque *quamvis*, quod est in paucis libris iisque deterioribus, hinc ortum esse, quod compendium particulae *quamq.* male legissent librarii; quod est hoc etiam veri similius, quod non solum in eisdem libris, in quibus *quamquam* pro *quamvis* legitur, verum etiam in eis, in quibus *quamvis* scriptum est, *valet* pro *valeat* habetur, uti in Gottingensi et Oxon. x., qui *quamvis* — *valet* exhibet. in paucis *valet* propter illud, quod vitio illatum erat *quamvis*, in *valeat* mutatum est. itaque errarunt critici qui *quamquam* — *valet* non receperunt.

Ibidem. *ut animadvertant, ne callida assentatione capiantur.* idem, quod modo reprehendimus, etiam hic vituperandum est, quod critici deteriores libros antetulerunt melioribus in iudicanda scripturae diversitate. libri enim, quorum iure putatur summa esse auctoritas, Erfurtensis, Vind. II., Gudianus, Basileensis, Bernensis uterque, Aug. I., Aug. II., Gottingensis, Oxonienses I, U, η, ν, ο, σ, ψ., Haenel., alii apud Beierum libri *animadvertant* pro volgato *animum advertant*, quod R. Bentleius ad Cic. Tuscul. lib. V., c. 23. p. 293 sq. ed. Orell. unice verum in his locis falso putavit, scriptum habent, nec magis de hoc loco dubitandum videtur, quam de alio, quem attulit Orellius lib. *de offic.* II. c. 19. §. 68., ubi ex libris antiquissimis Bernensibus edendum erat: *iam illud non sunt admonendi — est enim in promptu — ut animadvertant, cum iuvare alios velint, ne quos offendant.* illa enim ratio, quam ingressus est Bentleius, nullo pacto potest probari, *animadvertere* tum esse scribendum, si accusativus accederet, *animum advertere* autem, si accusativus aut nullus aut pronomen *hoc*, *id etc.* accederet. cui rationi et res ipsa et multi optimorum scriptorum loci repugnant. cf. L. Ramshorni gr. Lat. §. 129. not. p. 382. ed. alt.

Ibidem. *Quod ut ne accidat, cavendum est etc.* hic pro volgato *quod ne accidat* ex libris optimis scripsimus *quod ut ne accidat*, veluti Erfurtensi, Gudiano, Vindob. II., Aug. II., Gottingensi, Vindob. I., aliis Gernhardi ac Beieri libris multis. nec pluribus dicendum est esse hanc scripturam etiam ad huius loci sententiam aptissimam.

Ibid. §. 100. *ad levis amicitias deflexit oratio.* hoc loco libri, quicunque antiquiores et integriores esse videntur,

pro volgato *deflexit* exhibent *defluxit*, uti Erfurtensis, Vindob. II., Gudianus, Basileensis, Bernensis II., Vindob. I., Oxonienses E, l, U, η, κ, ο, σ, ψ., Aug. I., Gottingensis, alii Gernhardi et Beieri libri. ac nunc adducor, ut a Tullio *defluxit* potius quam *deflexit* scriptum esse existimem. nam etsi *deflexit* saepe est etiam alias depravatum in *defluxit*, ut supra c. 12. §. 40., tamen mirum esset, si optimi libri falsam scripturam hoc loco tuerentur omnes, deteriores singuli sinceram. huc accedit, quod etiam sententiae illa scriptura satis accommodata est, fluere enim orationem saepe dixerunt Romani, quidni dixerint defluere, si a proposito oratio in aliam rem devenit nobis vix sentientibus? est autem hoc discriminis dicasne *defluere* an *deflectere*, ut illud magis de mutatione in deteriorem partem dicatur, hoc vituperationis nihil habere videatur, velut *Tusculan. Disputt.* lib. I. c. 25. §. 62. dicitur: *a quibus mansuefacti et exculti a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus.*, quo loco illud certe effici non poterit, quod voluit Gernhardus falsum loco laudato *defluxit* esse. nam quod ille dicit: *quod defluxit, reduci in pristinum locum nequit*, id mihi videtur neque per se recte dictum esse nec quidquam ad eius loci rationem facere.

Cap. XXVII. §. 100. *quae cum se extulit et ostendit suum lumen et idem aspexit agnovitque in alio etc.* hoc loco libri optimi pro volgato verborum ordine *lumen suum* habent *suum lumen*, uti Erfurtensis, Vindob. II., Gudianus, quibus accedunt etiam Basileensis, Bernensis II., Aug. I., Aug. II., Vindob. I., Gottingensis, alii multi apud Gernhardum, omnes Beieri libri atque, ut videtur, Oxonienses cuncti. Sed praeter optimorum librorum auctoritatem eam, quam nos recepimus, verborum collocationem tuetur etiam ipsa sententia, quod recte percepit iam Beierus. si enim dicitur *lumen suum*, nulla est vis in pronomine possessivo *suum*, quod contra debebat esse. *suum* enim hoc loco opponitur ei, quod sequitur *in alio*, quasi scriptum esset *in se* pro *suum*., quae oppositio etiam eo iuvatur, quod *idem* in sequentibus dictum est de lumine et verba *in alio* in fine sententiae posita sunt.

Ibidem. *utrumque enim ductum est ab amando.* sic habent hunc locum libri Erfurtensis ac Vindob. II., ceteri libri pro *ductum* habent *dictum*. *ductum* praeferendum putavi quod et saepius cognoram *duco* in *dico* falso mutatum esse et libri optimi negligendi his in rebus minime sunt. utrumque autem per se dici potuisse apparet, conf. quem locum iam Gernhardus contulit, qui in Celberdensi nescio quo codice item *ductum* ait esse, lib. *de fin.* II. c. 24. §. 78. *quid autem est amare,*

e quo nomen amicitiae ductum est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiam si ad se nihil ex iis redeat? et lib. *de offic.* I. c. 7. §. 23., quem attulit Beierus, *ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta, credamusque quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem.* et Horat. *Satir.* lib. II. sat. II. v. 56.

Avidienus,
cui Canis ex vero ductum cognomen adhaeret,
quinquennis oleas est et silvestria corna.

denique *Academ. posterior.* lib. I. c. 11. §. 41. *ex quo nomen hoc duxerat.* itaque perspicuum videtur esse, *ductum* isto loco, non *dictum* a Tullio profectum esse.

Ibidem. *amare autem nihil est aliud nisi eum ipsum diligere, quem ames etc.* hoc loco libri optimi *nihil est aliud* tuentur, ubi volgo scriptum erat, *nihil aliud est*, Erfurtensis, Vindob. II., Gudianus, quibus addendi sunt Vindob. I., Haenel., Basileensis, Bernensis II., Gottingensis, alii. recteque post negationem positum est verbum substantivum, quod non sine quadam vi hoc modo ecfertur.

Ibid. §. 101. *A. Vergini* pro volgato *A Virginii* scripsi ex libris optimis Erfurtensi, Vindob. II. (vitio in collatione mea librarius Vindob. I. scripsit), Gudiano.

Ibidem. *Quoniamque ita ratio comparata est vitae naturaeque nostrae, ut alia aetas oriatur; maxime quidem optandum est etc.* etsi haec oratio videtur non satis rotunda esse, tamen ego verba, quae volgo, ut integra sit sententia, adiiciuntur: *ex alia*, omittenda existimavi, non solum quod in libris optimis non leguntur, verum etiam quod sine sententiae detrimento videntur posse abesse. Dresdensis enim quidam liber post *oriatur* adiungit *ex alia,* pro qua interpolatione legitur in libro Oxoniensi I. *ex altera*, ceteri libri uno consensu glossema istud omittunt, quod ita minus videbitur necessarium, si intelligamus maiore vi ecferendum esse pronomen *alia* in his verbis: *ut alia aetas oriatur*, idque oppositum esse pronomini *nostrae.* sic habebimus hanc sententiam: *quoniamque ita ratio comparata est vitae naturaeque nostrae, ut alia (atque nostra est) aetas oriatur.* quamquam illud negari non potest facillime post *alia* potuisse excidere *ex alia* idque, si recipiatur, ad hunc locum aptissimum fore.

Ibid. §. 103. *Numquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim; nihil enim audivi ex eo ipse, quod nollem.* hoc quoque loco libros optimos secutus sum, cum addidi particulam *enim* post *nihil*, quam habent Erfur-

tensis, Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Basileensis, Bernensis II., August. I., Gottingensis, Oxonienses E, I, U, η, κ, ψ., alii libri, quaeque propter scribendi compendium ex ceteris facillime potuit excidere. praeterea ista particula etiam sententiae optime convenit, maior enim erit Scipionis laus, si Laelius dicit se ne minima quidem re illum offendisse, quod quidem senserit, quoniam nihil ex eo ipse audierit, quod nollet.

Ibidem. *una domus erat, idem victus isque communis.* si hoc loco pauci libri iique deteriores verbum *erat* omittunt, id non erat continuo abiiciendum, quod fecit Beierus, probavit Orellius. nam ad sententiam quod attinet, etsi eadem erit omittaturne verbum an retineatur, tamen hoc loco satius videtur esse retineri illud verbum. libri autem optimi uno consensu idem tuentur, uti Erfurtensis, Vindob. II., Gudianus, quibus accedunt Vindob. I., Haenel., Aug. I., Aug. II., Gottingensis, ceteri pene omnes.

Ibid. §. 104. *Sed nec illa exstincta sunt aluntur que potius et augentur cogitatione et memoria mea: et si illis etc.* hoc loco bis a volgata scriptura non sine optimorum librorum auctoritate discessimus idque recte atque ordine factum esse facile putamus posse demonstrari. nam quod Beierus ait copula *que* deleta multo fortiorem videri orationis vim et inter se respondere *nec — et, si etc.*, illud quidem intelligo, quod de orationis vi dixit, hoc autem, quod de particulis *nec — et* adiecit, quorsum dictum sit non video. nam istae particulae sese excipient etiam adiecta copula *que*. quod autem maiorem dixit fore vim orationis, si abiiciatur ista copula, his in rebus tantum quaerendum non videtur esse, quantum voluit Beierus. est autem illa ipsa particularum ratio: *nec illa — et si illis* etc., caussa, cur videatur copula *que* retinenda esse, quoniam ita optime apparet verba haec: *alunturque potius et augentur cogitatione et memoria mea*, ad ea, quae antecedunt: *sed nec illa exstincta sunt*, quasi explicationis caussa annecti, novam sententiam tum denique ordiri, cum dicatur: *et si illis plane orbatus essem etc.* ceterum libri optimi Erfurtensis, Vindob. II., Gudianus, Vindob. I., August. I., August. II. reliqui pene omnes particulam tuentur. deinde post *cogitatione et memoria* ex libris optimis ac prope omnibus adiiciendum putavi nomen *mea*, quod ad hunc locum aptissimum est. nam etsi oppositio non est tam aperta hoc loco, quam in *orat. Catil.* III. c. 11. §. 26., quem locum attulit Beierus: *memoria vestra, Quirites, nostrae res alentur, sermonibus crescent, litterarum monumentis inveterascent et cor-*

roborabuntur., tamen recte illa, quae sunt Scipionis, dicit Laelius cogitatione et memoria sua ali et augeri. *mea* autem addunt libri Erfurtensis, Gudianus, Vindob. I., Vindob. II., Aug. I., Aug. II., Gottingensis, Oxonienses E, I, η, x, ν, σ, ψ., alii Gernhardi ac Beieri, quorum librorum auctoritatem contemnere boni critici non est.

Ibidem. *ut ea excepta nihil amicitia praestabilius esse putetis.* hoc loco ex libris Erfurtensi, Basileensi, Vindob. I., Vindob. II., Haenel., Oxon. E, η, aliisque apud Beierum recepi *esse*, quod volgo omissum erat, idemque nunc esse video in libro Gottingensi. attamen cum neque ceteri libri *esse* tueantur, uti Gudianus, August. I., August. II., et sententia verbum substantivum non necessario requirat, non multum intercedam, si quis volgatam scripturam revocare velit, quamquam *esse* si compendio, quo solebat, erat scriptum, facillime excidere poterat.

APPENDIX CRITICA.

Hanc editionem Laeli cum librarii pene absolvissent, accepi a Fr. Guil. Schneidewino accuratam quattuor librorum mss. collationem, quae eo mihi erat gratior, quod et praeclara multa novis his monumentis allata sunt et rationes eae, quas eram in constituenda Tulli oratione secutus, mirifice confirmatae. sed prius quam quantum haec editio inde profecerit explicabo, illos libros, qui ét qualis fuerint, ipsius collatoris verbis describam. ac primum quidem commemorandus est liber Gudianus 335., membranaceus, saeculi X., cuius inscriptio haec est: LELIUS. M. TULLII. C. DE. AMICITIA. LIBER. INCIPIT. in fine autem haec verba ascripta sunt: EXPLICIT. LIB. MARTII. T. C. DE AMICITIA. de hoc Schneidewinus ita explicavit: „*Codex est membranaceus formae 8vae minoris in membrana subfusca diligenter scriptus. Manus secunda uno loco priorem scripturam immutavit. Constat XXX foliis Laelius, quem sequitur oratio* pro Deiotaro *ab eadem manu scripta. In quaque pagina sunt versus XX. Scholia nusquam ascripta. Nondum quisquam codice usus est, nisi quod Schoenemannus aliquot diversitates scripturae speciminis loco cum b. Beiero communicavit.*“ alter est liber Augustanus 56, 20. membranaceus saeculi XII., qui nullam habet inscriptionem et nihil in fine ascriptum nisi hoc: EXPLICIT. LIBER. de hoc Schneidewinus: „*Codex est membranaceus 8vae formae, in membrana spissa diligentissime exoratus. Manu fere aequali aliquot locis aliae scripturae allitae sunt. Constat XXIV foliis et scholia tenet inter versus et in margine, quae fere rhetorici sunt argumenti. Ab interpolationibus et interpretamentis est immunis et omnino maxima fide dignus est.*“ tertius est liber Augustanus 51, 12. membranaceus saeculi XII., qui neque ab initio neque in fine quidquam ascriptum habet, de quo ita explicavit Schneidewinus: „*Codex est membranaceus, saeculi XII. et cum optumis quibusque ubique fere conspirat. For-*

mae est 8^{vae}: *quae a manu secunda correctiones sunt, eae tamen sat antiquae. XXI folia tenet Laelius, quem subsequitur Cato Maior a Seebodio dudum exploratus. Praecedit Sallusti Catilina et Iugurtha a Cortio olim excussi. De scribendi ratione in singulis notatum est.*" Quartus denique liber, quem contulit Schneidewinus, est Gottingensis saeculi XV. chartaceus formaque quarta, quae dicitur, cuius inscriptio haec est: „*Marci. T. Ciceronis. Ad Atticum liber de amicitia.*", rubro colore scripta. in fine scriptum est: „*Deo Grās. Sit salus Deo nostro,*" praeterea nihil de eo notavit vir clarissimus.

Horum librorum vetustissimus atque optimus Gudianus est, qui librorum Erfurtensis et Vindobonensis II. praestantiam non solum aemulari, verum etiam superare videtur. antiquissimum hunc librum esse non modo externa litterarum forma cognoscitur, sed etiam ex ipsa libri praestantia ac vetere orthographia apparet. Scriptum enim in illo libro fere semper est *volgus*, *Leli*, *Pompei*, *Licini etc.* casu genitivo, *optumus*, *facillumus*, *proxume etc.*, *moriundi* pro *moriendi*, *experiundum* pro *experiendum etc.*, *existumas* pro *existimas etc.* *talis* pro *tales* casu accusativo, veluti c. 6. §. 22. *Talis igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet etc.*, *animantis* pro *animantes* eodem casu, veluti c. 21. §. 81. *deinde ut requirant atque appetant, ad quas se applicent, eiusdem generis animantis.* et quae sunt similia antiquae scriptionis vestigia. praestantissimum autem eundem librum esse vel inde intelligitur, quod longe paucioribus locis, quam ceteri omnes, ab ea verborum constitutione, quae in novissimis editionibus recepta est, recedit eius collatio.

Augustanus I. et Augustanus II. et aetate et praestantia cedunt Gudiano, non tamen a diligenti critico prorsus contemnendi sunt, praesertim in his libris, in quibus originem singulorum codicum non ita possumus persequi, ut in aliis libris potuit fieri. Gottingensis denique et aetate et indole longe cedit his, sed tamen in singulis quibusdam locis cum optimis libris consentit, volgaribus reliquis dissentientibus, quam ob caussam hunc quoque conferre operae pretium erat.

De ceteris libris, qui multi collati sunt, difficilius erat indicare, quod multi eorum singulis tantum locis excussi, multi etiam negligentissime collati sunt. praeter ceteros vero laudandi sunt liber Erfurtensis ab Ed. Wundero *in variis lectionibus librorum aliquot M. T. Ciceronis ex codice Erfurtensi enotatis* p. 152—158. accurate collatus et Vindobonensis II. ab Andr. Dan. Michnay summa diligentia ex-

cussus, ad quorum praestantiam proxime accedunt Basileensis, Bernensis I., quorum diversitates diligenter annotavit Orellius, atque Oxonienses aliquot libri, de quibus tamen, cum eorum collatio accurata non sit, difficilius est iudicium dicere. his igitur copiis ceterisque, quae inde ab Aldo Manutio comparatae erant, omnibus ita usus sum, ut cum cognovissem praestantissimos libros esse Erfurtensem ac Vindobonensem II., eos potissimum in hac editione adornanda sequendos existimarem, quibuscum Gudianum librum et vetustissimum et optimum in plerisque conspirare tum denique cognovi, cum et Tulli oratio tota et maior pars annotationum mearum typis essent descriptae. itaque pleraque, quae ego ex Erfurtensi, Vindobonensi II. aliisque libris receperam, libri optimi testimonio confirmata sunt; ac plerumque fere factum videmus, ut ille liber nisi in solitis librariorum mendis et in verborum collocatione, in qua aliquoties a ceteris libris omnibus vitio, ut videtur, dissentit, a mea recensione verborum non recedat. Quod quo magis appareat atque intelligatur quam sit praestans ille liber, singulos quosdam locos, de quibus in annotatione libri Gudiani nondum potui facere mentionem, enumerabo.

Ac primum quidem c. 1. §. 1. Gudianus *etiam* particulam in verbis: *multa etiam breviter et commode dicta memoriae mandabam*, tuetur, quam cum optimis libris putaram necessario retinendam. c. eod. §. 2. idem liber habet: *qui tum fere multis erat in ore*, quod ego ex libro Erfurtensi multisque aliis recipiendum duxeram. Ibid. §. 5. verborum collocationem *ad senem senex*, quam ego, contra ac voluit Beierus, retinueram, defendit ille liber, pariter atque eam scripturam, quam reposui, *scripsi de amicitia.* ibidem idem liber habet futurum *loquetur*, quod cur ex Erfurtensi aliisque libris receperim, scriptum in annotatione est. paullo post verborum collocationem: *a me animum parumper avertas*, idem liber servat. c. 2. §. 6. particulam *nunc* Gudianus omittit, quam librorum optimorum auctoritate ductus reieceram. recte deinde idem liber *habebat* pro volgato *haberet* exhibet, quod ego item repudiaram. ibidem quam ego recepi scripturam: *qualem in reliqua Graecia neminem*, eo tuetur Gudianus, quod scriptum habet: *qualem in Graecia reliqua neminem.* ibid. §. 7. verbum substantivum est etiam in Gudiano, quod ego ex Erfurtensi, Vindob. II. aliisque libris receperam, in verbis his: *ut omnia tua in te posita esse ducas.* ibidem in Gudiano scriptum est: *ex hoc item Scaevola*, quod ego ex eisdem libris reposueram. ibid. §. 8. etiam in libro Gudiano illa scriptura est, quam probandam putaram, *in collegio*

nro. et deinde *valetudinem respondeo*, quam scripturam in annotatione commendandam duxeram. ibid. §. 9. unice veram scripturam: *quod mihi tantum tribui dicis* pro volgato *qui mihi etc.*, quam ego ex libris Erfurtensi, Vindobonensi II. aliisque receperam, confirmat etiam Gudianus. c. 3. §. 10. idem liber habet: *nihil mali accidisse Scipioni puto*, ubi volgatum *nihil enim mali etc.* optimis libris iubentibus removeram. ibid. §. 11. idem habet: *adeptus est*, quod rescripseram ex libris optimis. ibidem formam *petivit*, quam defenderam, etiam Gudianus servat, itemque verborum collocationem: *quam est mortuus*, quam ego ex librorum partim aperto testimonio partim levioribus vestigiis receperam. denique eadem §. verba: *in qua etiam nunc erat Scipio*, ut sunt a me edita, ita etiam Gudianus habet. ibid. §. 12. eum verborum ordinem, quem ex optimis libris adoptaveram, habet etiam Gudianus: *hoc vere tamen licet dicere*, nisi quod librari vitio *vero* pro *vere* scriptum est. c. 4. §. 13. *ex corpore*, quod optimi libri exhibebant, est etiam in Gudiano pro volgato *e corpore*. ibid. §. 14. *quod idem Scipioni videbatur* scriptum est etiam in libro Gudiano. ibid. §. 15. quam ego comprobavi verborum collocationem: *quocum mihi coniuncta cura de publica re et de privata fuit*, tuetur etiam ille liber, in quo scriptum est: *quocum mihi coniuncta cura de publica re et de privata re fuit*. deinde post *domus* idem liber recte addit *fuit*, quod ego ex praestantissimis libris receperam. ibidem *idque eo mihi magis est cordi* etiam Gudianus habet. ibid. §. 16. *istuc quidem* pro volgato *istud quidem* habet idem Gudianus. ibidem etsi videtur liber Gudianus habere *cum ex te quaeruntur*, tamen Augustanus uterque, quam ego ex libris Erfurtensi, Vindobonensi II. aliisque libris recepi scripturam *quae ex te quaeruntur* confirmant. deinde pro *antevertit* etiam Gudianus *antevortit* scriptum exhibet. c. 5. §. 17. verborum collocationem a me ex optimis libris receptam tuetur idem liber: *quae est in me facultas*, pro volgata: *quae in me facultas*. ibid. §. 18. in eodem libro scriptum est: *quemquam esse virum bonum* pro volgato *quemquam virum bonum esse*, quod ego libris optimis auctoribus mutaram. ibidem *viri boni* pro volgato *boni viri* etiam Gudianus flagitat ut rescribatur. ibid. §. 19. eam verborum collocationem, quam ego maxime ex Erfurtensis libri ac Vindobonensis II. auctoritate receperam, confirmavit etiam Gudianus: *agamus igitur pingui, ut aiunt, Minerva*. ibidem *aequalitas* etiam Gudianus tuetur, quod habet: *equalitas*. paullo post *cupiditas, lubido, audacia* particulis *vel — vel* omissis habet etiam

Gudianus. ibidem *quia sequantur* eo confirmat Gudianus, quod habet: *qui assequantur*. ibid. §. 20. *inter duos* est etiam in libro Gudiano scriptum pro volgato *inter duo*. c. 6. §. 21. *est enim amicitia etc.* eiusdem libri auctoritas commendat pro volgato: *est autem amicitia etc.* ibidem in verbis his: *cum benevolentia et caritate consensio*, etiam Gudianus *summa*, quod volgo ante *consensio* adiectum est, omittit. deinde in verbis his: *haut scio an excepta sapientia quidquam melius homini sit a dis immortalibus datum*, etiam Gudianus eam, quam ego recepi, scripturam servat, nisi quod pro *homini sit* scriptum in eo est *sit homini*. paullo post in verbis: *beluarum hoc quidem extremum*, etiam Gudianus verbum substantivum omittit. ibid. §. 22. scriptum quidem in codice Gudiano est *quis esset tantus fructus*, sed ab eadem manu *qui* pronomini *quis* superscriptum est. c. 7. §. 23. in verbis: *quae non odiis et dissidiis funditus possit everti*, etiam Gudianus *et* particulam pro *atque* exhibet. c. 8. §. 26. in verbis: *ut dandis recipiendisque meritis*, etiam Gudianus liber *in* praepositionem, quam optimorum librorum auctoritate eiecimus, omittit. ibidem idem liber *ex quo amicitia nominata est* tuetur, ubi *est* volgo omissum ex libris optimis adieceram. ibid. §. 28. verborum positionem, quae est ex optimis libris a me recepta, *virtute amabilius* pro volgata *amabilius virtute* Gudianus quoque confirmat. deinde idem habet *etiam eos* pro volgato *eos etiam*. c. 9. §. 29. *quid mirum est* in eodem libro inventum est. c. 10. §. 33. pro volgato *audite ergo optimi viri etc.* etiam Gudianus scriptum exhibet: *Audite vero optumi viri etc.* idemque eam scripturam, quam ex libris optimis recepi: *usque ad extremum vitae diem*, tuetur, nisi quod in eo scriptum est: *usque ad extremum diem vitae.* deinde eadem §. *cum praetexta toga* in Gudiano quoque libro est. ibid. §. 34. etiam Gudianus liber cum optimis in ea scriptura, quam receperamus, consentire cognitus est: *nullam maiorem esse amicitiis* pro volgato: *maiorem esse nullam in amicitiis.* ibid. §. 35. idem liber *discidia*, quod ex praestantissimis libris receperam, exhibet. c. 11. §. 36. idem liber cum Erfurtensi et Vindobonensi H. exhibet: *summe si Coriolanus etc.* pro volgato *si Coriolanus etc.* Sic videmus librum Gudianum in reliquis etiam locis pene semper cum optimis libris nostris consentire. id quod singulis locis, quoad eius fieri potuit, in annotationibus nostris annotatum est.

Sunt autem nonnulli loci, ubi ille liber ab ea, quam ego recepi, scriptura discedit, quibus in locis plurimis res

facta est scriptoris illius libri incuria, in aliis de vera scriptura dubitari potest, in quibusdam etiam aperte rectius illud est, quod ille liber habet, quam id quod ego non cognita eius libri diversitate receperam. ac primi quidem generis diversitates, quae aut in scribendi ratione aut in verbis collocandis aut in ipsa scriptura immutata in illo libro inventae sunt, non opus est copiosius impugnare ac refellere, quando quidem nullus antiquitatis liber ad nostra tempora pervenit, qui non sit ullo loco temporis iniuria depravatus. in eis autem diversitatibus, ubi quid verum sit ambigi potest, commemorandus est locus quidam, qui legitur c. 9. §. 32. *atque haec inter eos fit honesta certatio*, ubi Lambinus cum libris quibusdam ediderat *concertatio* pro volgato *certatio*, Gernhardus autem atque Orellius eam scripturam prorsus reiecerunt, etsi in quinque Manuti libris, in Oxoniensibus I, v. aliisque *concertatio* aperte scriptum erat. ac Gernhardus quidem ob eam caussam scripturam *concertatio* improbat, quod concertatio sit proprie verborum. at quamquam saepe *concertatio verborum* apud Ciceronem dicta est, non tamen, quae est prima huius vocis significatio, potest penitus evanuisse. quare praesertim cum adiiciatur *honesta* adiectivum, de inani verborum contentione *concertatio* hoc loco accipi nequit. quin etiam maior quaedem commendatio isti scripturae nunc accessit, quod in libro Gudiano optimo scriptum est *ᶜcertatio*, quod nihil est aliud nisi compendium vocis *concertatio*. itaque apparet facilius *concertatio* in *certatio* potuisse depravari. idque hoc loco esse factum eo est veri similius, quod c. 7. §. 23. in verbis his: *quod si exemeris ex rerum natura benevolentiae coniunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit.*, pro *coniunctionem* in multis libris aut *iunctionem* aut *vinctionem* scriptum est, quae verba in antiquis libris propterea discerni non poterant, quod i cum puncto careret, utrumque scriptum erat *iunctionem*. *iunctionem* habet liber Erfurtensis aliique apud Gernhardum. *vinctionem* duo libri Berolinenses apud Beierum aliique. sed tamen illo loco dubitari non potest quin praepositio *con* iniuria exciderit, quoniam et sententia hoc flagitat et plurimorum et optimorum librorum auctoritas, ut scribatur *coniunctionem* requirit. quin etiam illud perspicuum est qui factum sit, ut praepositio omitteretur. in libro enim Gudiano eodem modo, quo *ᶜcertatio* supra scriptum vidimus exaratum legitur *benivolentiae ᶜjunctionem*, quod cum librarius alius in codice suo invenisset, facili errore litteram *c* poterat negligere scribebatque *iunctionem*. quae cum ita sint, dubitari sane potest an illo, unde digressi sumus, loco scriben-

dum sit: *atque haec inter eos fit honesta concertatio.* eadem caussa est alius loci, qui legitur c. 9. §. 32., ubi volgo ita scriptum est: *at erit eius ortus a natura quam ab imbecillitate et gravior et verior*, quo in loco tamen Gudianus cum Erfurtensi, Vindobonensi II. aliisque libris *et* ante *gravior* omittit et incertum videtur esse quid scripserit M. Tullius, quamquam *et* a praecedentis vocabuli extrema syllaba *imbecillitate* absorberi poterat facillime.

Postremo ii commemorandi loci sunt, in quibus liber Gudianus paucis illis quidem a nostra recensione recedit. ac primum quidem c. 4. §. 13. recte videtur ille liber eam scripturam tueri, quae ante me volgo erat in editionibus, in eo enim scriptum est: *iisque cum ex corpore excessissent, reditum in caelum patere optumoque et iustissumo cuique expeditissimum*, pro eo, quod ego ex Erfurtensi, Basileensi aliisque libris receperam: *optimo et iustissimo cuique expeditissimum.* itaque cum idem liber Vindob. II. aliique multi tueantur, iam credo *que* particulam retinendam esse, quod in annot. p. 108. in medio reliqueram. deinde c. 5. §. 17., ubi edidi ego: *Sit ita sane; sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc nemo mortalis est consecutus*, quod est in libro Erfurtensi, Bernensi, aliis, nunc cum libro Gudiano, Vindob. II. multisque aliis rescribendum existimo: *quam adhuc mortalis nemo est consecutus.* neque enim sine idonea caussa *nemo* cum verbo substantivo coniunctum est, qua de re iam alias saepe explicavi. sic etiam c. 7. §. 23. ex eiusdem libri auctoritate iam videtur scribendum: *quod bonam spem praelucet in posterum nec debilitari animos aut cadere patitur*, quod idem habet Augustanus I. pro eo, quod ego receperam *bona spe praelucet in posterum.* c. autem 8. §. 28., ubi ego Beieri auctoritate cum quibusdam libris scripsi: *quis est qui C. Fabrici, M'. Curi non cum caritate aliqua benevolentiae memoriam usurpet*, iam pene adducor, ut credam Ciceronem id scripsisse, quod uno consensu librorum praestantissimorum comprobatum video, Erfurtensis, Vindobonensis II., Gudiani, quibus accedunt August. I., August. II., Haenel., alii: *quis est qui C. Fabrici, M'. Curi non cum caritate aliqua benevola memoriam usurpet?*, nam etsi omnis caritas solet esse b e n e v o l a, tamen potuit hoc loco illud addi adiectivum, quo magis quantus sit istorum hominum amor appareat. nos item dicamus: *mit einem gewissen wohlwollendem Werthhalten.* huc vocandus denique alius locus est, in quo vera scriptura a criticis omnibus usque adhuc est neglecta. legitur is c. 11. §. 37., ubi volgo editur: *At C.*

Blossius Cumanus, hospes familiae vestrae, Scaevola, cum ad me, qui aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc ut sibi ignoscerem caussam afferebat etc. at neque sententia neque librorum testimonium volgatam hanc scripturam defendit; in libris enim optimis Gudiano et Vindob. II. — Erfurtensis enim verba *ad me, qui* plane omittit — pro *ad me qui* legitur *ad me quod,* idque aliorum etiam librorum iudicio vindicatur. *quod aderam* habent etiam August. II., Vimar. ap. Gernhardum, Bernens., Lips. α., Berol. γ. apud Beierum, Oxonienses ν, σ. alii, ut Vindob. I., Haenel., Dresd. 106. apud Beierum, Oxon. E, κ. *quo* pro *qui* habent, quibus accedunt etiam Berol. δ., ε., in quibus q^o scriptum esse testatur Beierus. sic videmus et optimorum librorum et multorum aliorum testimonium ut *quod* reponatur pene flagitare, quod cum aut compendio esset scriptum aut non recte ab librariis acceptum, facillime potuit mutari in *qui.* de sententia autem ita habendum est, posse quidem defendi pronomen relativum, sed tamen ad huius loci rationem accommodatius illud esse, quod est in optimis libris. per pronomen enim relativum illam caussam, cur ad se potissimum C. Blossius deprecatum venisset, non satis recte ecfert Laelius. quod longe melius cur factum sit apparet, si pro *qui* scribimus *quod.* tum hoc dicet Laelius: *At C. Blossius — cum ad me, quod aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc ut sibi ignoscerem caussam afferebat.* i. e. cum ad me propterea, quod aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset. Sic etiam alias pronomen *qui* et a criticis et a librariis scriptum vidimus; conf. quae supra scripsi ad c. 2. §. 9. p. 102. et ad c. 4. §. 15. p. 112 sq. et in cens. orat. Planc. ab E. Wundero editae c. 24. §. 59. *Nov. Annal. philol. et paedag.* 1832. vol. I. fasc. I. p. 114.

Haec habui quae de libro Gudiano praedicarem, omnis et huius libri et ceterorum a me collatorum diversitates exhibebo in editione omnium operum Ciceronis, quam paro ac meditor. in ea enim editione illud potissimum sequar consili, ut orationem M. Tulli quam emendatissimam edam et codicum optimorum diversitates cum brevi annotatione mea adiiciam. ac tum etiam optime fieri poterit, ut historia codicum mss. Ciceronis quotquot in notitiam nostram venerint, a me componatur, quam in singulorum scriptorum editione nolebam adiicere, quod in singulis neque res disceptari neque brevi spatio absolvi posset. sic credo ego me etiam aequo Catonis maioris, quem ante

hos duos annos edidi, censori in *diar. scholastic.* 1832. Sect. II. nr. 109. 110. satis facturum. quem virum doctum etsi lubenti animo concedo ea in libro meo laudasse pleraque, quae ego quoque postero tempore mihi visus eram recte administrasse, ea autem etiam vituperasse pleraque, quae ego quoque postea cognoram non recte a me facta esse, tamen in quibusdam ei assentiri non possum, quod aperte falsus est. nam quod in editione mea vituperandum dixit p. 878. primum quod libros Erfurtensem, Trevirensem, Basileensem, Parisino optimo interdum sine idonea caussa antetulissem, id in ultimis certe paragraphis, quod fecit vir doctissimus, mihi vitio dari non potest, quod ille liber iam desinit §. 78. *Wenn nun gleich,* inquit, *diese Handschriften* (Erf., Trev., Bas.) *der Pariser an Werth zunächst stehen, so hätte doch der Einheit und Consequenz halber in Fällen genannter Art die Pariser Handschrift das Uebergewicht haben müssen. Inconsequenzen der Art finden sich besonders gegen Ende des Buchs,* z. B. §. 71. 78. 79. 80. at, ut dicebam, ultimi loci ex libro Parisino, quod in eo non sunt, emendari et constitui non poterant; itaque necessario ad libros, qui ad eius praestantiam proxime accederent, confugiendum fuit. in aliis iam assentior viro doctissimo, veluti quod c. 2. §. 4. *adeptam* pro *adepti* scribi voluit, quod c. 11. §. 38. *si nemini emancipata est* ex libris Paris. Reg., Erf., Trev., Basil. aliis recipi voluit pro volgato *si nemini mancipata est,* quod ego cum Nonio et volgaribus libris retinueram, quod c. 14. §. 47. *lubenter vero instinc sicut a domino agresti ac furioso profugi* tuendum putavit, quod c. 16. §. 56. *eum dictatorem esse factum* vindicavit, quod ibidem *arcessebatur* pro *arcessebantur* scribendum existimavit in verbis his: *a villa in senatum arcessebatur et Curius et ceteri senes,* in quo loco me mutasse sententiam iam dixeram ad Luciani *Gall. sive somn.* §. 24. p. 69. anno 1831, editum. in aliis autem quam ego secutus eram sententiam, etiam nunc teneo eamque in maiore editione defendam.

INDEX RERUM MEMORABILIORUM.

INDEX SCRIPTORUM.

